


coll. wagt. f.
8°, [XVI], 123, (5) + [II],
195, (3 blank) pp.

IVSTI CALVINI VETERA-CASTRENSIS

PRO SACROSANCTA CATHOLICA ROMANA ECCLESIA,

PROQVE SVA AD EAM TRANSmigratione

APOLOGIA.

EX

SACRIS LITERIS, VENERANDA ANTIQVITATE, ATQVE IPSIS SECTARIOrum principiis ita adornata, vt facilem lectori viam ad veritatem muniat.

ACCESSIT

EPISTOLARVM CATHOLICARVM EIVSDEM VOLVMEN VNVM: nec non ex S. Augustino Epist. 48. ad Vincentium, & Epistola 50. ad Bonifacium, de latitudine Ecclesiæ DEI, & moderata coërcitione hæreticorum.

S. HIERONYMVS.

Legant prius, & postea despiciant, ne videantur non ex iudicio, sed ex odii præsumptione ignorata damnare.

MOGVNTIÆ,

Ex officina Typographica Ioannis Albini.

anno CIↃ IↃ CII.

S. AVGVSTINVS Tom. 1. de vera Religione cap. 7.

Tenenda est nobis Christiana Religio, & eius Ecclesiæ communicatio, quæ Catholica est, & Catholica nominatur, non solum à suis, verùm etiam ab omnibus inimicis. Velint enim nolintuè ipsi quoq; hæretici & schismatū alumni, quando nō cum suis, sed cum extraneis loquuntur, Catholicam nihil aliud quam Catholicam vocant. Non enim possunt intelligi, nisi hoc eam nomine discernant, quo ab vniuerso orbe nuncupatur.

Idem libro 1. de moribus Ecclesiæ Catholicæ. cap. 18.

Breui dicam, quod sentio: Audite doctos Ecclesiæ Catholicæ viros, tanta pace animi & eo voto, quo vos ego audiui: nihil opus erit nouem annis, quibus me ludificastis. Longè omninò, longè breuiori tempore, quid intersit inter veritatem vanitatemque cernetis.



ILLVSTRISSIMO ET REVERENDISSIMO D. CINTHIO CARDINALI ALDOBRANDINO Tit. S. GEORGII, &c. Patrono ſuo meritiſſimo

IVSTVS CALVINVS VETERAcaſtrenſis S. D.



Vibvs & quàm grauibus ex cauſis præſentem Apologiam ſcribere aggreſſus ſim, Cardinalis Illvstriss. norunt ii, qui pręſentes aliquot menſium calamitates meas inſpexerunt, quàmque variis telis & machinis meus ad Catholicam ingreſſus impetitus fuerit, cognorunt. Horret animus meminiſſe variarum tempeſtatum, nec ſortè periculũ pericula commemorare ſinit. Miſſis igitur illis, quæ qualiacunq; & quatulacunq; pro nomine ſuo perferenda benignè Dominus im-

posuit, acerbissimum dolorem meum non aliter quàm leni & placdia Apologia consolandum duxi. Quanquam vix quicquam huiusmodi medelâ apud animos tam exulceratos profici solet. Tamen ne silentio culpâ aliquam agnoscere, aut causam sincerissimā malitiosè prodere videar, libellum hunc operis subcisiuis conscripsi, & nunc publicè excusum aduersariis legendum propono, vt vel hinc, quod sæpè requisiuerunt, causas mutatæ fidei meæ cognoscant, mihiq; æquiores deinceps se iudices præbeant. Enimuerò multi me hoc nomine quotidié conuenerunt, mecumq; acres etiam conflictus de fide instituerunt. Quibus etsi multa commodè pro mea tenuitate respondi, multa feliciter persuasi, & redditis documentorum testimoniis firmiter demonstraui, vt vel hinc nō mediocrem aliquando fructum expectem: tamen vel propter pertinaciam aliquorum, vel propter infirmitatem aliorum multa respondere, vel persuadere nō potui, vt consultum omninò putarim, deinceps stylo quoq; causam meā agere, eaq; quæ propter transuolantium verborum festinationem non attenderentur, clauo quasi trabali

bali constantis scripturæ figere, quò diutiùs firmiusq; sensum occuparent. Quod si infracta sit quorundam pertinacia (quemmodum multos ex isto genere suis erroribus mordicus inhærentes noui) non propterea operam hoc opere lusisse iudicandus ero.

Primùm enim extare volui publicum benignissimi ac misericordissimi erga me DEI beneuolentiæ testimonium, qui miris me modis in vtero matris formatũ, in hoc splendidissimum mundi theatrum inductum, à variis fortunæ procellis & iniuriis clementissimè protectũ, è perniciosissimis errorũ, hæreseon & inferni labyrinthis potentissimè liberatum, tandem cum sempiternæ felicitatis spe in hunc tranquillũ Ecclesiæ suę portum traduxit, statuit & collocauit. Cuius immensa & omni verborum amplitudine maiora beneficia, si modio silentii tegam vel extinguam, sceleratissimè in Deum impius sim, & omnis veritatis iustitiæque hostis. Quid enim maius à DEO præstari potest homini, quàm vt & sit, & beatus sit, id est, saluificæ veritatis cognitione illustratus, & pestilentissimorum errorum lue expurgatus? Dominus creauit

nos, magnum eſt: Dominus ratione & ſenſu inſtructos aluit pauitque, maius eſt: Dominus errantes reuocauit & conuertit, & ad ſpem hæreditatis filiorum ſuorũ traduxit, maximum eſt. Iam modus reparationis, modus conuerſionis, etſi multorũ animos & aures grauiter læſurus ac vulneratus eſt, *quorum ex culmine Babylonicæ dignitatis quaſi ex cedris Libani, quas nondum contriuit Dominus, grauiter ruituras in me inimicitias præuideo*: tamẽ à me taceri vel occultari nec debuit nec potuit, Verus enim eſt, ſincerus eſt, nec obſcura mirificæ bonitatis Dei veſtigia continet. *Sacramentũ ergo Regis abſcondere bonum, opera autem Dei reuelare & confiteri honorificum eſt. Tob. 12. 7.* Quod conſiderans D. Auguſtinus *lib. 12. confeſſ. ca. 25. Domine,* inquit, *tremenda ſunt iudicia tua, quoniam veritas tua nec mea eſt, nec illius, aut illius, ſed omnium noſtrum, quos ad eius communionem publicè vocas, terribiliter admonens nos, vt nolimus eã habere priuatam, ne priuemur ea. Nam quiſquis id, quod tu omnibus ad fruendũ proponis, ſibi propriè vendicat, & ſuum vult eſſe quod omniũ eſt, à communi propellitur ad ſua, hoc eſt à veritate ad mendaciũ. qui enim loquitur mẽdaciũ, de ſuo loquitur.*

Altera huius cõſilii ratio eſt domus Dei

profe-

profectus & incrementum: quæ quemadmodũ ſcandalis deſtrui, ita pietatis & conſtantiæ exemplis mirificè augeri atq; confirmari ſolet. *Nam* vt Auguſtini iterum verbis vtar, *8. confeß. cap. 4. qui ex profundiore tartaro cæcitatis ad Dominum redeunt, & lumen recipiunt, ſi minus noti ſint populis, etiam minus de illis gaudent qui nouerunt eos. Quando enim cum multis gaudetur, & in ſingulis vberius eſt gaudium, quia ferueſaciunt ſe, & inflammantur ex alterutro. Deinde quod multis noti, multis ſunt authoritati ad ſalutem, & multis præeunt ſecuturis, ideoque multum de illis & qui eos præceſſerunt, lætantur, quia non de ſolis lætantur. Abſit enim vt in tabernaculo Domini præ pauperibus accipiantur perſonæ diuitum: aut præ ignobilibus nobiles: quando potius infirma mũdi elegit, vt confunderet fortia, & ignobilia huius mundi elegit & cõtemptibilia, & ea quæ nõ ſunt, tanquã quæ ſunt; vt ea quæ ſunt euacuaret.* Sic maxima Eccleſiæ gloria Auguſtinus, audita ex Simpliciano Victorini Rhetoris conuerſione, quãuis inter mare & portũ adhuc fluctuãs *exarſit ad imitandũ, exclamauitq;: O Domine Domine, qui inclinaſti cælos; & deſcendiſti, tetigiſti mõtes & fumigauerũt, quibus modis te inſinuaſti illi pectori, quod tãquã inexpugnabile receptacu-*

 lum

lumDiabolus obtinuerat? Rex noster alligauit fortem, & videmus vasa eius erepta mundari & aptari in honorem Dei, & fieri vtilia Domino ad omne opus bonum. Sic duo Imperatorii Palatii milites apud Treuiros inter deambulandum inuēto codice, in quo scripta erat vita Antonii, eoq; lecto *mirari cœperunt & accendi, & inter legendum meditari arripere talem vitam, & relicta militia seculari seruire Deo. Quo enim, inquiunt, omnibus laboribus nostris ambimus peruenire? Quid quærimus? Cuius rei causa militamus? Maior ne esse poterit spes nostra in palatio, quam vt amici Imperatoris simus? Et ibi quid non fragile plenumque periculis? Et per quot pericula peruenitur ad grandius periculum, & quamdiu istud erit? Amicus Dei si voluero, ecce nunc fio. Dixit hoc vnus, & turgidus parturitione nouæ vitæ, reddidit oculus paginis, & legebat, & mutabatur intus vbi tu videbas, & exuebatur mundo mens eius, vt mox apparuit. Namq; dum legit & voluit fluctus cordis sui, infremuit aliquando & discreuit, decreuitque meliora: Iamque tuus, ait amico suo: ego iam abrupi me ab illa spe nostra, & Deo seruire statui, & hoc ex hora hac in hoc loco aggredior. Te si piget imitari, noli aduersari. Respondit ille, adhærere se socio tantæ mercedis, tantæque militiæ. Et ambo am-*

bo iã tui ædificabant turrim ſumptu idoneo, relinquendi omnia & ſequendi te. O ſi quis meo talem affectum exemplo caperet, quanta beatitudine ſe, quanto gaudio Deum, Angelos, Eccleſiamq; afficeret! Nam, vt Euangelium quoq; docet, in rebus humanis ita comparatum eſt, vt plus gaudeamus de ſalute deſperatę animæ, & de maiore periculo liberatæ, quâm ſi ſpes ei ſemper affuiſſet aut periculum minus fuiſſet. *Triumphat victor imperator, ait Auguſtinus 8. confeſſ. cap. 3. & nõ viciſſet niſi pugnauiſſet. Et quanto maius periculum fuit in prælio, tantò maius gaudium eſt in triumpho. Iactat tempeſtas nauigantes, minaturq; naufragium, omnes futura morte palleſcunt. Trãquillatur cælum & mare, & exultant nimis, quoniam timuerunt nimis. Æger eſt charus, & vena eius malũ renunciat: Omnes qui eum ſaluum cupiunt, ægrotant ſimul animo. Fit ei rectè, & nondũ ambulat priſtinis viribus, & fit iam tale gaudium, quale non cùm antea ſaluus & fortis ambularet. Sic vbiq; maius gaudium moleſtia maiori præceditur. Nam ipſe quoq; miſericors pater plus gaudet de vno pœnitente, quàm de nonaginta nouem iuſtis, quibus non eſt opus pœnitentia. Et nos cum magna iucunditate audimus, cùm audimus, quàm exultantis paſtoris humeris reportetur ouis*

quæ errauerat: & drachma referatur in thesauros tuos collætantibus vicinis mulieri quæ inuenit: & lachrymas excutit gaudium solennitatis domus tuæ, cùm legitur in domo tua de minore filio, quoniam mortuus erat & reuixit, perierat & inuentus est. Gaudes quippe in nobis & in Angelis tuis sancta charitate sanctis. Sed si qui superbiores neq; legibus, neq; exemplis se morigeros præbebunt, illi sanè suo fastu in extremam præcipitabuntur ignominiam, & nos illorũ securi, faciemus id, quod Plato olim in Diogene docuit. Quem cum gelidissimo tempore videret in aquis pene congelatis nudum stare, & magnam hominum multitudinem circumfusam mirando commiserari: *si* inquit, *huius hominis misereri, eumq; tãta molestia liberare vultis, discedite.* Sentiens fore, vt admiratoribus digressis, & fructu inanis glorię sublato, ipse stultus continẽtem peteret, & quæ ex salute forẽt faceret. Quod non minus fortè nobis de multis insanientis sapientiæ consultis dicere fas sit.

Tandem præstabit & istum vsum Apologia nostra, quem in Leporio quodam Pelagiano notat *Gennadius de script. Ecclesiast. & Cassianus lib. 1. de Incarnat. Is à Gallicanis Doctoribus admonitus, & in Africa per Augustinum*

emen-

emendatus, scripsit emendationis suæ libellum, in quo ita magnificè malè conceptam opinionem damnauit, vt nō minus penè admiranda esset correctio illius, quàm illæsa multorum fides, quia primum est errorem penitus non incurrere, secundum benè repudiare. Is ergo in se reuersus non solum in Africa tam errorem suum cum dolore, quàm sine pudore confessus est: sed etiam ad omnes admodum Galliæ ciuitates flebiles confessionis ac planctus sui literas dedit: scilicet vt vbi deuiatio eius prius cognita erat, illic etiam emendatio nosceretur: & qui testes erroris antea fuerant, iidem postea correctionis essent. Eodem modo & mihi præsens Apologia mea partim confessionis publicæ, partim sinceræ retractationis loco apud omnes pristini erroris testes erit: *quibus etsi demonstrare non possum, an vera confitear, credent mihi tamen, quorum mihi aures charitas aperit, & credet Dominus, cuius oculis nuda est abyssus humanæ conscientiæ.* Iam Epistolas quod attinet, quanquam multos futuros scio, qui illarum vel scriptionem damnaturi, vel editionem miraturi, vel dedicationem denique reprehensuri sunt: tamen nullius istorum tanti apud me authoritas fuit, vt semel susceptum edendi consilium vel

tan-

tantillum remoraretur, nedum plané impediret aut euerteret. Scribendi enim causas puto me habuisse iustas, edendi iustiores, dedicandi iustissimas. Scripsimus ad pares, aut ad superiores. A paribus consilium, à superiorib. auxilium postulauimus, & in causa quidem optima, grauissima, sincerissima. De salute enim mea anxius, consului eos, quos consilio valere & salutis negotia intelligere iudicabam. Necessitatibus constrictus, opem imploraui eorum, quos & officio posse, & benignitate velle me iuuare, cognoram.

Iam quod ea, quæ tanquam priuatos inter parietes gesta sunt, publico nunc totius orbis theatro spectanda propono, sinceritatis argumentum est. *Qui enim malè agit, odit lucem.* At ego tantoperè causæ meæ non diffido, vt etiam in penetralia consiliorum aduersarios nunc intromittam, qui legant licet clausa, videāt occulta, nil proditoriè, nil perfidè à nobis actum inuenient. Augustini Epistolas duas quasi coronidis loco huic opusculo propterea adieci, vt vel indè maior autoritas fidesq; assertionibus meis accederet, cùm sanctus Pater quasi summam totius argumenti mei hisce literis videatur complexus. Sed

Sed nunc tempus ad te veniam, Cardinalis Illust. cui quod totum hoc, quicquid est, quod certè perexiguum est, dedicare, tuiq; sub āplissimi nominis felici auspicio in lucem proferre visum, non puto mihi longè aut anxiè rationes conquirendas esse. Offerunt sese vltrò & quidem plena manu. Cùm enim in hoc arduo, atq; omnium quæ homini accidere possunt, grauissimo conuersionis meæ opere Dominus Zebaoth quadrigas quasi saluti meæ instructurus, ex ipso illustrissimo purpuratorum patrum collegio, patronos conciliasset quatuor, omni divina humanaq; virtute instructissimos, deq; me longè meritos optimè: quorum singuli munificentiæ iure quasi tesseram quandam gratitudinis à me efflagitarēt, muneri meo vtcunq; deinceps ordiné satisfacturus, ab illustrissima celsitudine tua, tanquam proximo S. D. N. cognato initium faciendum esse duxi. Cuius quoniam eminentissima inter ipsas Ecclesiæ columnas dignitas, laus & fama toto orbe percrebrescens, admirabilis in Deū & homines pietas, veritatis Catholicæ ardor incomparabilis, doctrina omnis generis profundissima atq; eloquētissima, deniq; maxima

xima erga me & incredibilia merita, humanitasq́; in meo etiam planè agresti silentio iterum atq́; iterum literis testata, singularem quandã ac propè diuinam gratitudinem postulare videtur, fateor me hoc leuidensi munusculo neutiquam partib. meis satisfacturum. Sed quia & pilos caprarum ad templi structuram oblatos legimus & munera non tã ex pondere suo, quã animo donantis valorem accipere solent: restat vt (quod humilimè ardẽtissimeq́; precor) hilari vultu donantẽ accipiat Celsitudo tua, & quod datur tenue, vileq́;, æqui boniq́; cõsulens, amplissimi nominis sui authoritate tanquã clypeo contra vituperatores protegat & defendat, quò liberius in hominũ manus venire, atq́; aliquem saltem veritati propagandæ fructum afferre possit. Numen diuinum enixè oro, vt quemadmodum Illustriss. C. T. cumulum suorum erga me beneficiorum indies augere non desistit, ita eam mihi & vniuersæ Catholicæ Ecclesiæ, multisq́; adhuc per Dei gratiam è tenebris emersuris, quàm diutissimè sospitem valentemque conseruet. Moguntiæ, 11. Septemb. anno redempti orbis 1601.

CLA-

CLARISSIMO VIRO
IVSTO CALVINO
IN CATHOLICÆ ECCLESIÆ PORTUM FELICITER RECEPTO.

IVSTVM

Deduxit (Dominus) per vias rectas & ostendit illi regnum Dei, & dedit illi scientiam Sanctorum. Sapient. X.

Candida Relligio, veterumq; antistita morum
Et veri dux vna fides, tuq; arbitra mundi
IVSTITIA, *optanti noua suffice gaudia cœlo.*
Ecce tuus tibi IVSTVS *adest, iam iustus, apertas,*
Hæreseon surgit nubem eluctatus, in auras.
Fallendiq; astus, abiuratasq; tenebras,
Præterita in puro cognoscit damna sereno.
Talis erat dominâ postquam Memphitide pressum
Iosephus tetro Iustus caput extulit antro,
Vt faceret Phario terrarum arbitria curru,
Tu dominam infamem, densæ caliginis vmbras,
Seruitiumq; animæ iam vindice lumine Christi
Egressus, sanctâ cum libertate, fideq;
Ducis inoffenso constantem tramite gressum,
Sidereamq; viam, & tritos cœlestibus orbes,
Ter fœlix, solidoq; locas vestigia VERO.
Aspice quâ æterno teritur petra ardua calle,
Hanc firmata super fulgenti Ecclesia cœtu,
Immota perstat vultu immutabilis, vnum
Doctrinæ & morum seruans sincera tenorem.
Non illa ancipiti mentem frustrata figurâ
Præcipitat dubiam sensu variante salutem,
At recto stabiliq; gradu fida inferet astris
Inculpatam animam, vitæ aspera vincere cuncta, &
Subter humi stratis docet insultare periclis.
Certa via, & longo seclorum plana meatu.
Et diuerticulis sectarum imperdita constat.
Hac quia te reducem, leni IVSTE *agmine ducens*

Emi-

Emeritum atherea fert admotura corona,
Perge alacer, quo iam tot ierunt secula ductu.
Neu metue, illa etiam priuatum lumine Saulum,
Quam sua cernentem, securius orbita vexit.
Hac olim AVRELIVS *variis anfractibus actus*
Dum reprobat, repetitq́ vias, in pace quieta
Sollicitam ingemuit, raptamq́ per inuia vitam,
Erroresq́ suos, Huc errabunda Luthero
Contempto retulit STAPHYLVS *vestigia. Magnus*
Te exemplo, scriptisq́ grauis PISTORIVS *anteit*
Proximus, inq́ viam docet auia corda reuerti,
Palantesq́ animas Fidei, cœlisq́ reducit.
Huc te etiam immensos post magni pectoris astus
E labyrinthais ambagibus extricatum
Summa Dei eduxit Clementia IVSTE; *nec illum*
Aut latuit studium, aut pia cura impensa saluti,
Et toties vigiles in veri indagine noctes.
Cum veterum crebro monumenta exacta remensus,
Et pracepta Patrum, magna concordia Roma;
Atq́ aliena nouis emirabare magistris,
Adfuit, & blando cita pectora perculit ictu
GRATIA *dum medio pendes discrimine rerum*
Et verum damnas animo alternante probasq́;
Postquam nocte animi excussâ, vinclisq́ solutis
Aethercam toto admisisti pectore lucem,
Tum vero inuicto fulsit constantia scuto,
Et triplici Heroos artus adamante reuinxit.
Non graue propositum carissima pignora nati,
Coniugij non fregit amor, non fama malignis
Pronior, & IVSTI *virtutibus inuida mouit.*
Et merito, patriâ, quam Christo agere exul adempto
Maluit, & patrio bene pro fumo astra pacisci,
Iam sic ille fide meritisq́ adspirat olympo
Sic aliis pratentat iter, quos nocte profunda
Lux summâ de luce Deo, Deus euocet vltro
In regnum, & puro det lumine posse renasci.

A. C. M.

IV-



IVSTI CALVINI VETERACASTRENSIS

PRO SACROSANCTA CATHOLICA ROMANA ECCLESIA, PROQVE SVA AD eam transmigratione,

APOLOGIA.

Aduersarij quomodo tractandi.



SANCTVS AVGVSTINVS, Catholicæ Ecclesiæ decus, & præsidium firmissimum, cùm *diruptis & derelictis Manichæorum laqueis Catholicæ veritati caput submisisset*, sibique ex præcepto Domini omne negotium dari sciret, vt *ipse conuersus confirmaret quoque fratres suos*: sectam illam variis scriptis non tam acerbè aut biliosè carpsit, quàm humaniter erudiit, & propositis veritatis falsitatisque causis, flendo quasi, deprecando & obtestando ad salutem capessendam cohortatus est. Qua diligentia sua & lenitate omnibus posteris

August. de duabus animabus contra Manich. cap. 1.

Luc. 22.

quasi regulam fixit, exemplumque reliquit tractandi aduersarios suos, non biliosis inuectiuis aut acerbis sarcasmis & exprobrationibus, sed amica, placida, & humili ostensione causarum, quibus veritas innixa contrarios errores subsistere non patitur. *Magis enim* inquit, *de correctione eorum, qui imprudentiùs fortaßè quàm malitiosiùs hæresi adhæserunt, quàm de subuersione cogitandum est. Et quanquam Dominus per seruos suos regna subuertit erroris, ipsos tamen homines, in quantum homines sunt, emendandos esse potiùs, quàm perdendos iubet, &c. Illi ergo in vos sæuiant, qui nesciunt cum quo labore verum inueniatur, & quam difficile caueantur errores. Illi in vos sæuiant, qui nesciunt cum quanta difficultate sanetur oculus interioris hominis, vt possit intueri solem suum, &c. Illi in vos sæuiant, qui nesciunt, quibus suspiriis & gemitibus fiat, vt ex quantulacunque parte possit intelligi Deus. Postremò illi in vos sæuiant, qui nullo tali errore decepti sunt, quali vos deceptos vident.*

August. contra Epist. fundamen. cap. 1.

Autoris institutum.

Scripturus igitur ego, iuuante Domino, Caluinianæ, quam vocant, fidei sectatoribus APOLOGIAM, meamque ad Romanas partes secessionem à sinisterrimis quorundam suspicionibus & calumniis vindicaturus: quanquam aliud illatæ mihi iniuriæ, & clamor per orbem sparsus, & multorum in angulis susurrantium, meamque famam ementitis conuitiis rodentium iniquitas suadere videbatur: ne tamen malum pro malo

repen-

rependens, in Christi disciplinam impingam, cumque maledicis maledicus fiam, meum ita stylum temperabo, vt neque mansuetudinis partes excessisse, neque nimium etiam pertinaciæ quorundam concessisse videar. Quod si quædam fortè incauto verbula duriora (quod haud spero) exciderint. Illustrissimos Principes, ac viros sapientia authoritateq; præditos obtestor, ne suæ id personæ ascribant, sed præsentium turbarum autoribus & continuatoribus, quibus cum omne mihi certamen futurum profiteor.

Narratio de autoris conuersione.

Primùm autem ne cui mirum videatur, quo pacto ego tanto quondam interuallo à fide Catholica segregatus, tamque diuersis in studiis enutritus, præter omnium sententiam & expectationem quasi cælitùs mutatus Romanam fidem profiteri, eamque vt diuinam ac cœlestem prædicare, laudibusq; omnibus ac veneratione prosequi incipiã: præludij causa præmittendum existimo, quæ me ratio ad istam mentem impulerit, quamq; nulla temeritate aut præcipitantia, multo minus praua aliqua affectione, sed acerrimo conflictu atque insuperabilis veritatis vi ac necessitate eò deuenerim.

Pristina authoris studia & religio.

Annus iam agitur fermè decimus quartus, ex quo relictis pueritiæ studiis Theologiam sacram pro vitæ instituto amplexari cœpi: & eam quidem Theologiam, quæ Caluini & Zvinglij partes potissimùm sequens, tantum alias puritate sectas, quan-

tum linguâ, doctrinâ, & acumine superare nititur. De hac fide, mea semper existimatio honestissima fuit, atque eiusmodi, esse eam quasi ex omnibus huius perturbatissimi seculi religionibus viuam quandã medullam, & purgatissimum succum. Qua de causa in eam non solùm acri studio per annos amplius quinque Heibelbergæ incubui, verum etiam, quoad plures fructus eius peruenire, vtque tanquam vera atque vnica salutis via omnibus innotescere posset, meâ qualicunque operâ publicè per annos nouem gestis muneribus efficere conatus sum. Sed vt quod res est fatear, duo fuerunt semper, quæ hanc persuasionem meam quasi exerta manu petere, atque aliquo etiam modo conuellere videbantur. Prius est, Ecclesiæ Romanæ præ nouis conuenticulis antiquitas, & digna promissionibus noui testamenti amplitudo: catholicorum virorum in Deum & homines pietas, in dictis factisque constantia, in studiis & bellis fortunatissimi successus: contra nouellorum doctorum in oriendo obscuritas, in docendo lubricitas & inconstantia, in ecclesiis extendendis angustia, in viuendo profanitas & mollities: in tractandis aduersariis plus quàm barbara feritas, & scurrilis dicacitas, in pugnando infirmitas, denique in veritatis venditatione plus quam Thrasonica sine teste præfidentia. Hæc etsi sæpissimè animum vellicarunt, oculosque altiùs aperire iusse-

Trabs communis.

iusserunt, tamen quia mores potius & corticem religionis, quàm interiorem medullam concernere videbantur, facili excusatione diluta euanuerunt.

Alterum igitur, quod tanquam grauissimum telum mentem meam expugnauit, & ad Romanam ecclesiam tanquam á melioribus stantem partibus, rectiusque scripturas sanctas interpretantem, impulit, sanctorum Patrum, Augustini inprimis, & Cypriani lectio est, á diuino numine clementissimè mihi suasa, & ad perpetuam animæ meæ salutem dexterrimè gubernata. Augustinum ex patris bibliotheca habebam, item Cyprianum, & nonnullos patrum alios. Magna igitur confidentia Caluinum legens *ad Augustinum tanquam ad fidelissimum atque optimum testem antiquitatis, quin & theologorum coryphæum prouocantem*: faciendũ mihi putabam, vt ipse quoque ad eius libros tanquam ad illustre armamentarium confugerem, indeque necessaria tela contra Iesuitas & Lutheranos, quibus tum omne certamen indixeram, colligerem. Adeò igitur quàm primum Augustinum, explico, benè instructam armaturam inuenio, sed non ad militiam Caluinianam. Omnia lædebant me, omnia vulnerabant, & catholicis patrocinabantur. Quod miratus, Cyprianum capesso, an fortè ille æquior meæ causæ, sed omnia similiter habebant: nihil hic de nouiter exorientibus reformatoribus, nihil de prouin-

S. Patres plurimum momenti ad sapientiam afferunt.

Cal. lib. 3. Instit. cap. 3. §. 10. & lib. 4. cap. 14. §. 26. Caluinus in Psal. 58. §. 2. Hyperius de lectio. S. Scriptura p. 51. & operum parte 2. fol. 62.

S. August.

S. Cyprianus.

cialibus angustiis: doctrina, regimen ecclesiasticum, ritus, omnia Romana erant: omnia Romanam Ecclesiam sonabant, eiusque perpetuam durationem, & à perfidia immunitatem, valentissimis argumentis astruebant. Hic mihi cor palpitare, maleque de nostris ominari. Quamuis enim fidem meam humanis assertionibus nõ facilè concrederem, tamen & fraus Caluini me pessimè habebat, & tutius iudicabam in controuersis fidei quæstionibus antiquissimos Patres sequi duces, qui vel corã Apostolos tanquam viua scripturæ comentaria audiissent, vel alioqui miraculis & doctrina clari totius Ecclesiæ iudicio dexterrimi semper scripturarũ interpretes habiti essent. *Qui denique* vt Augustinus ait (lib.2.contra Iulianũ Pelagianum) *Nullas nobiscum vel vobiscum amicitias attendissent, vel inimicitias exercuisset, neq; nobis neq; vobis irati, neq; nos neq; vos miserati esset: quod inuenerũt in Ecclesia retinuissent: quod didicerũt docuissent: quod a parẽtibus acceperunt, hoc filiis tradidissent.* Agitãti cogitationes istas subsidio venit fortissimus seculi nostri athleta R. Bellarminus, mentemq; longius in Catholicorum partes propellit. Hic enim tanquam Apelles quidam longè venustiorem ecclesiæ faciem depingens, & horribiles calumniarum maculas, quibus à protestantibus conspurcata erat, eluens, nec non doctrinæ singula capita accuratiùs explicans, & mussitantes contra hæreticos fortissimè

S. Patrum authoritas.

Bellarminus.

repel-

repellens, id apud me effecit, vt quamuis diu multumq; reluctarer acerrimè, tandem tamen vel inuitus in ſententiam eius tranſire, & manus veritati præbere coactus ſim. Qua in re non poſtulo, vt fidē mihi quiſquā gratis tribuat. Faciat quæſo ipſe periculum: legat primò patrem vnum atque alterum: euoluat Tertulliani præſcriptiones aduerſus hæreticos: Cypriani librum de vnitate Eccleſiæ: itidem Auguſtini eiuſdem argumenti contra Donatiſtas: nec non eiuſdem tractatum aureum de vtilitate credendi ad Honoratum: quin & Vincentii Lirinenſis commonitorium aduerſus prophanas hæreſeon nouitates. Tum his omnibus quaſi plenioris confirmationis cauſa adiungat Baronij Annales Eccleſiaſticos, fidiſſimos antiquitatis teſtes, Bellarmini diſputationes accuratiſſimas, adeoque curioſitatis ſaltem cauſa inquirat, quænam ſit illa Fides priſca, quibus fundamentis nixa, à qua ſuperiori ſeculo maiores noſtri magna ſua infamia defecerunt, & contra quam hodiè tam imperitè multi dicaculi miniſtri deblaterant: fidem depono, ſi non multi (omnes enim aſſerere nolim, quia *fides non omnium eſt*, neque par etiam omnium in legendo dexteritas aut intelligentia) breui ſententiam mutaturi, & cum illis Donatiſtis apud Auguſtinum dicturi ſunt: *Neſciebamus hic eſſe veritatem nec eam diſcere volebamus: falſis rumoribus terrebamur intrare eccleſiam, quos falſos eſſe neſci-*

Qui patres primo legendi hæreticis.

Epiſtola 48. ad Vincentium.

remus nisi intraremus. Gratias Domino, qui trepidationem nostram abstulit, expertos docuit, quam vana & inania de Ecclesia sua mendax fama iactauerit. Hinc iam credimus & illa falsa esse, quæ authores huius hæresis criminati sunt, quando posteri eorum tam falsa & peiora finxerunt. Sed ad Bellarminum meum redeo, virum æterna memoria dignissimum, cui Dominus retribuat mercedem, quam pollicitus est iis, *qui errantes à via mala conuerterint, & ad iustitiam cohortati fuerint plurimos.* Illi quanquam leoni intrepido imbelles quidam & timidi lepusculi barbam vellicare, & consarcinatis hinc inde centonibus aureas ipsius disputationes, si Diis placet, cõfutare aggressi sunt. Quo euentu? qua laude? Vidi omnes ac legi, vereque testari possum, nihil vel ex Anglia, vel ex Galliis, vel ex Germania aut Belgio in hoc genere editum aut scriptum esse, quod ego non auide coëmptũ legerim, & priuata collatione, vel inde etiam subsidium sperans, cũ causa & argumentis Bellarmini studiosissimè contulerim. Sed bone Deus, quã frigida ac tenuia omnia! ἀμυσία τὸ πλέον μέρος, λόγων τε πλῆθος. Alij conuitiis scenam ingressi nomen tantum & famam aduersarij lacerant, & de fraudibus scilicet lectorem præmonent, vt quæ inuicta occurrunt argumenta, fraudibus annumerentur. Alij tenuiter quæstionem extremis quasi digitis attingentes nihil

Daniel. cap. 12.

Bellarmini Antagonistæ.

Laertius in Cleobulo.

nihil reponunt, niſi veterem crambem, & quod in quæſtione eſt, ſua authoritate minutis intermixtis argutiis, tanquam imperatorio edicto confirmant, & vel lectori inuito obtrudunt. Noui quendam ex iſta claſſe, quem ſæpe vix precibus adducas, vt præter argumentum generale inſtantias vel minimo digitulo attingat, contentum pompâ & minis aſſeruiſſe, ſuam ſententiam eſſe veram, & quæcunq; dicantur contra, ſophiſticæ & Antichriſtianis fraudibus accenſenda. Cuius hominis ineptiæ vt clarius pateſcant, quemadmodum & aliorum, ſuo id loco, Deo coadiuuante, teſtatum faciemus.

Nunc in viam redeo, vbi commemorare poteram, quæ prætereà abiiciendi erroris mihi adiumenta acceſſerint. Sed ne prolixus ſim, Baronii quædam ſcripta omitto, Stapletoni diſputationes, Fabricii Harmoniam Auguſtanæ Confeſſionis prætereo: exterorum tantum populorum conſenſum adiicio: in iisque præter Æthiopes, Ruthenos, Ieremiæ præſertim Patriarchæ Conſtantinopolitani iudicium, quod Tubingenſium laceſſitu ante annos circiter xxv. de Auguſtana confeſſione ſcripſit: quo certè plurimum meam de Romana eccleſia ſententiam confirmatam eſſe fateor. Ita enim omnia in potiſſimis doctrinæ capitibus conueniunt, vt mirer ſummopere, non eodem Patriarcham loco quo Pontificem Romanum à nouatoribus haberi. Si

Cenſura Græcorum.

enim vnus Antichristus est, necesse est & alter sit, quia neruum doctrinæ communem habent. Tantòque magis dolenda est quorundam ex aduersariis simplicitas, qui nescio quem cum Ecclesia Græca consensum adhuc somniantes, eumque sibi falsò à pecuniæ cauponibus persuaderi sinentes, scriptis literis & missis Catechesibus animum orientis explorare non cessant. Itane obliti sunt fatorum Augustanæ confessionis? nesciunt quomodo excepta, & quàm grauiter in aula Patriarchæ comprobata fuerit? Abeant Tubingam, quærant, Crusius narrabit. Aut si piget viæ, orationem Chytræi legant, quam de statu ecclesiarum in Græcia, Asia, Boëmia &c. Francofurti edidit. ibi p. 113. 115. 116. 129. 133. quædam ad hanc causam pertinentia inuenient. Præcipuè autem p. 132. vbi ex Crusio summam censuræ pauculis hisce aphorismis commemorat:

Summa Censura Græcorum.

Error Græcorum.

1 *Nititur Patriarcha fortissimè demonstrare, Spiritus S. ex solo Patre processionem.*

2 *Libero arbitrio plus iusto tribuit.*

3 *Per fidem & charitatem & spem iustificari hominem contendit.*

4 *Septem Sacramenta ponit.*

5 *Sanctos defunctos, & Mariam Dei genetricem, & S. Angelos inuocat, & sacras eorum imagines adorat, non latriæ cultu (soli enim Deo debetur.) sed coniunctiuè, seu respectu, non materiæ, sed sanctorum, qui per materiam significantur, et affectione quadam*

dam amica, & venerationem ac honorem erga sanctos ostendente.

6 *Pro monastica vita instituto tanquam angelica conuersatione propugnat.*

7 *Probationes ex patribus & synodis sumpta sunt: &c.*

8 *Hortatur nos humaniter ad assensionem.*

Hæc Crusio authore totius censuræ summa est: quam si quis integram nobiscum legerit, plura & maiora ad damnandam fidem nouam inueniet: inprimisque ista quæ tanquam colophonis loco Patriarcha scribit responso tertio. Pag. 350.

Omnino tacere nobis propositum fuit ad ista vestra, nec respondere vobis quicquam: qui adeo apertè tum scripturam, tum doctorum sanctorum interpretationes ad vestram voluntatem transferatis: cum Paulum habeamus nos sic hortantem: Hæreticum hominem post vnam atque alteram admonitionem reiice. Verùm quia silentio nostro futurum fuisset, vt vobis assentiri videremur tanquam fortaßè rectè opinantibus, & intelligentibus, hac ipsaq́ scriptura & sancti à vobis stare in hac parte: ideo ad defensionem horum, nunc etiam hæc exarare voluimus: licet certa nobis ex scriptis vestris fides facto sit, vos nunquam nobiscum, vel potius cum veritate sentire posse.

Patriarcha Vale nunciat Tubingensibus tanquam desperatis.

Ibidem in fine 3. responsi pag. 370. *Rogamus itaque vos, ne posthac labores nobis exhibeatis: neque de iisdem scribatis, & scripta mittatis. Nam theologos, qui Ecclesiæ lumina fuerunt*

runt, aliâs aliter tractatis: & verbis quidem honoratis eos, extollitisq́; factis verò reiicitis: armaque noſtra inutilia nobis efficere vultis excutere, ſcili. de manib. noſtris, verba illorum ſancta & diuina, quibus nos ad ſcribendum, & contradicendum vobis, vti potuiſſemus. Quamobrem quantum ad nos attinet, liberaſtis nos curis. Veſtram erga viã euntes, ne amplius de dogmatibus, ſed amicitiæ tantum cauſa, ſi volueritis, ſcribite.

Cenſura Græcorum ſuppreſſa.

Atque hinc patet, cur cenſura iſta tam ægrè à capitibus VVirtembergenſis Eccleſiæ in lucem emiſſa fuerit: quod Cruſius bis ſignificat citata oratione Chytræi pag.131.& 133. *Vt Græcorum ſcripta edantur*, inquit, *& noſtra metuo. Nihil enim illi de veteribus erroribus remittunt. Dei opus eorum conuerſio.* Et iterum pag.107. *Hi quinque libelli ſi excuderentur, vnà cum conuerſione latina è regione, eſſet pulchrum & vtile opus. Hos omnes libellos habeo ego, & paratus eſſem ſuſcipere laborem editionis, ſi aliquando me viuente* τοῖς ἡμῶν τῆς ἐκκλησίας φωστῆρσι *placeret. Sed adhuc nemo tale quid cogitat, & ſunt* εὐλαβεῖς καὶ ἐφεκτικοί. Profectò meritò ἐφεκτικοί. Parum enim ſubſidii cauſæ ſuæ in iſta editione reſtare videbant. Et fortè nunquam iſta ſcripta lucem vidiſſent, niſi Socolouius arte in medium protraxiſſet.

Socolouius.

Quanquam igitur neſcius non ſum, quo loco ſchiſmatica iſta Eccleſia habenda ſit, nemini tamen tam vaſti in oriente ſpatii teſtimo-

ſtimonium vileſcere debet: vbi Chytræus ſaltem *veras Ieſu Chriſti Eccleſias eſſe, & per immenſos tractus dilatatas profitetur. Nam in media Turcia, Græcia, Aſia, Armenia, Iberia, & Intimis Aſiæ regnis latiſſimè Chriſtiani habitant. Et ex quatuor Patriarchis, qui noſtro etiam tempore orientalibus eccleſiis præſunt, latiſſimè patet ByZantini Patriarchæ diecœſis, quæ in Europa totam Græciam, Myſiam, ſeu Seruiam & Bulgariam, Thraciam, VValachiam, Moldauiam, Ruſſiam, Moſcouiam, Inſulas Ægei maris, & Aſiam minorem complectitur. In Aſia autem Syri & Georgiani veterem Iberiam. & Albaniam incolentes: quos ad Boream Caucaſus, ad occaſum Colchi, ab ortu mare Caſpium, à meridie Armeni ambiunt: in octodecim Epiſcopatus diuiſi, vni Catholico parent, & Græcorum doctrinam ac ceremonias in vniuerſum ſequuntur. Armeni verò à finibus Cappadociæ & Ciliciæ, in qua Teraſſa, Sancti Pauli patria, Tarſus olim appellata, hodie floret, vſque ad Iberiam, mare Caſpium, Mediam & Aſſyriam longiſſima terrarum ſpatia occupant.*

Latitudo Eccleſiæ Græcæ. *Chyt. in orat. pag. 7. 13. 14. 17. 23. 32.*

Quorum omnium populorum confeſſiones & ſententias vnica iſta Patriarchæ cenſura complexa eſt: vt qui tanta authoritatum nube non mouetur, planè deploratæ aut ſtultitiæ, aut arrogantiæ ſit. Nam vt *Tertulliani* verbis arguam, *age nunc omnes errauerint, deceptus ſit & Apoſtolus de teſtimonio reddēdo quibuſdam: nullam reſpexerit Spiritus ſanctus, vti eam in veritatē deduceret, ad* hoc

Tertul. de præſcript. cap. 28.

hoc missus à Christo, ad hoc postulatus de patre, vt esset doctor veritatis: neglexerit officium Dei villicus, christi vicarius, sinens Ecclesias aliter interim intelligere, aliter credere, quàm ipse per apostolos prædicabat: ecquid verisimile est, vt tot ac tantæ in vnam fidem errauerint? nullus inter multos inuentus est, vnus exitus, variasse debuerat error doctrinæ ecclesiarum. Ceterùm quod apud multos vnum inuenitur, non est erratum, sed traditum. Audeat ergò aliquis dicere, illos errasse qui tradiderunt.

Status pro Romana Ecclesia, cōtra omnes quascunq; Synagogas.

Quid ergo? vt summam dictorum faciam, his tot tantisque præceptoribus iam annos complures vsus: Sanctorum patrum auspiciis de vera & genuina scripturarum interpretatione monitus, de controuersis quæstionibus catholicorum disputationibus rectius eruditus, de sinceritate atque integritate Romanæ ecclesię manifestissima veritate conuictus? de omnibus fidei capitibus exterarum quoque ecclesiarum consensu confirmatus: Iam dudum feci, & iterum facio Deo duce iudicium: quotquot ab vnitate & communione Romanæ ecclesiæ, vel diuersæ religionis instituto, vel morum disciplina, & pacis vinculo separati sunt, extra Christum, & à corpore ipsius tanquam palmites à vite præcisos arescere, & æterno camino reseruari.

Quotquot autem hanc Romanam catholicam ecclesiam (de qua tam multa falsa & odiosa passim ab imperitis sparguntur, & à sim-

à ſimplicibus perniciosiſſimè creduntur) & fidei, & communionis vnitate ſequuntur, in vera, viua & dilecta Chriſti eccleſia eſſe, quam ſemel in hiſce terris fundatam firmiſſimè contra portas inferorum defendit hactenus, & in poſterum defenſurus eſt: & in qua tanquam templo Dei ſalutaris Sacramentorum communio extat: In qua omnes hactenus ab apoſtolicis temporibus electi & fideles fuerunt, & ad quam deinceps omnes tanquam ad arcam Nohe contra æterni ignis diluuium confugere eſt neceſſe.

Quæ tam odioſa nouis theologis ac dura ſententia, quò debito robore muniatur, ac tanquam caput cauſæ firmiſſimis præſidiis fulciatur, neceſſe nunc eſt in campum confirmationis excurrere, & tela argumentorum, quibus hoc tam hoſtiliter obſeſſum caſtellum defendatur, promere.

Confirmatio tam factæ propoſitionis a duplici Teſtimonio. aduerſariorum ipſorum. & S. patrum.

Argumentorum genera multa ſunt, quæ fusè tractari ſolent ab iis, qui ex profeſſo controuerſias fidei explicandas ſuſcepe-runt. Nos vt hoſtium reſpectum habuiſſe videamur, duobus tantum in præſentia vtemur: quorum prius deſumptum ab ipſorummet aduerſariorum κριτηρίοις, quæ religioni diiudicandæ præſcripſerunt: Poſterius ab orthodoxæ antiquitatis conſenſu: quem hac in re plurimum momenti habere, nemo ſanus negarit. *Si enim* Irenæo teſte, *de aliqua modica quæſtione diſceptatio orta fuerit,*

1.

2.

Lib 3. c. 4.

fuerit, nonne oportebit in antiquissimas recurrere ecclesias, & ab eis sumere de præsenti quæstione, quod certum & re liquidum est? Et quemadmodum Tertullianus inquit, *quid prædicauerint Apostoli, quid illis Christus reuelauerit, & hic præscribam, non aliter probari debere, nisi per easdem Ecclesias, quas ipsi Apostoli condiderunt. Si hæc ita sunt, constat proinde omnem doctrinam, quæ cum illis Ecclesiis Apostolicis & matricibus & originalibus fidei conspiret, veritati deputandam, reliquam verò omnem de mendacio præiudicandam.*

De præscript. cap. 21.

Quid ergó ab hostibus testimonii habes veritas Catholica, sapientia sancta? Plurimum profectò. Nam vt sine ambagibus arenam ingrediar, Zacharias Vrsinus Theologus Caluinianus haud ignobilis, magno apud suos loco habitus, & multorum quasi Chrysippus, in prolegomenis explicationum suarum Catecheticarum, cùm de κριτηρίοις Christianæ religionis differit, ita differit, vt quasi sui oblitus Catholicis arma suppeditet robustissima, quibus ipse & tota causa nouatorum miserè iuguletur. Nam attendat lector, quæ ipse pro religione Christiana contra Iudaicam, Turcicam, Ethnicam adfert argumenta, an non iustissimè à Catholicis contra omnes omnium aduersantium ordines adhiberi & vrgeri queant? Quod vt re ipsa fiat perspicuum, rationes auctoris ordine subducamus.

Zacharias Vrsinus.

AR-

ARGVMENTVM I.

ZACH. VRSINVS.

Argumenta 14. pro Catholica, ex ipsa sectariorum Theologia.

ARgumenta veritatem ac certitudinem doctrinæ Ecclesiæ confirmantia, sunt plurima: quorum alia conscientias de veritate conuincunt: vt priora XII. alia etiam persuadent atque conuincunt, vt postremum.

Primum est integritas & puritas legis. Impossibile est enim religionem fingentem idola, vel approbantem scelera contra legem Dei, & iudicium rectæ rationis, veram & diuinam esse. Atqui omnes religiones præter eam, quæ in sacris literis est tradita, & ab Ecclesia colitur, manifestè illud faciunt. Omnes enim primam legis diuinæ tabulam de vno vero Deo, & de huius veri Dei cultu, vel omnino abiiciunt, vel suis mendaciis contaminant: secundæ verò aliquam tantùm partem de externa honestate, & de officiis ciuilibus retinent, vt supra est dictum. Sola Ecclesia vtramque legis tabulam puram & integram secundùm scripturam amplectitur. Quare sola Ecclesiæ doctrina est vera & diuina.

IVSTVS CALVINVS.

Primum hoc Vrsini κριτήριον, quod pro religione Christiana verum certumque agnoscimus, primum Catholicæ Ecclesiæ contra nouatores testimoniũ præbet: quod sic argumento eiusdem euinco.

B Vera

Vera Ecclesia proponit integram & incorruptam legem Dei.

Sola Ecclesia Catholica proponit integram & incorruptam legem Dei: non noua.

Ergo,

Sola Ecclesia Catholica, est vera ac germana Dei Ecclesia.

Assumptum pro diuersis membris particulatim à nobis exponendum ac confirmandum est. Primùmque diuinæ legis integritatem, nemo in Catholica desiderare potest.

Sine discrimine enim vtramque legis tabulam vrget, ac scholis Ecclesiisque discendam proponit. Sine discrimine ab omnibus omnino præceptorum obedientiam flagitat, & homini renato per auxilium diuini spiritus possibilem docens, verbis factisque legis authoritatem tuetur. Sine discrimine omnes legis tabulas, vniuersum veteris ac noui testamenti corpus retinet, atque in culmine sequendæ authoritatis cum maioribus relinquit: quæ omnia in nouatoribus contraria grauissimam reprehensionem merentur. *Antinomi.* Nam quid inauditæ olim insaniæ ad Antinomis motum est? qui etsi communes omnium hostes, nouæ tamen fidei progenies fuerunt, nec clementius vllis à Catholicis haberi debent. Sanè non alterutram tantum, sed vtramque legis tabulam fu-

furiosè sustulerunt, legem curiæ, Mosen furcæ addicentes. Quos etsi grauiter reprehendit Lutherus tomo 6. fol. 493. & tomo 5. fol. 253. tamen idem ipse docuerat ante, vel semina grauissimi erroris imprudens sparserat. Sic enim scribit Tomo 1. VViteberg. folio 189. 190. 200. *Oportet cor humanum legem DEI atque adeo DEVM ipsum supra modum odisse.* Et ibidem folio 201. *quicunque dicunt, se amare legem, mentiuntur, & quid dicant nesciunt.* Item in libro de libertate Christiana: *Christiano*, inquit, *neque opera, neque lex necessaria est, quia per fidem liber est ab omni lege.* Et in secundum caput ad Galat. *Legi mori nihil aliud est, quàm ad legem non esse obligatum, ab eaque liberum esse*, siue ceremonialis sit, siue moralis, vt expressè addit in quartum caput ad Galatas. *Clarum est, decalogum solis Iudæis datum, & non nobis, nec sectarii sine mendacio aliter docere possunt.*

Lutherus legi iniquus.

Iam etsi in ista sectæ aliæ non consentiunt, tamen nec ipsæ illibatam Dei legem tenent. Tollunt enim, cúm ab operibus eius siue excusantibus, siue accusantibus fideles liberos pronunciant, nullumque credenti peccatum obesse statuunt. Vnde iste dialogismus crebro in ore populi, & doctorum: *Conscientia dicente peccasti, responde, imo peccaui: Ergo Deus puniet & condemnabit. Non. At lex hoc dicit. Sed nihil mihi cũ lege.*

Sectarii omnes obliquè legem abrogant.

Lutherus in 2. cap. ad Galat.

Caluinus lib. 3. Instit. cap 19. §. 2. 4 7.

Quare? quia libertatem habeo. Quod quám orthodoxum, quám purum & defecatum sit, æquus lector videat. Paulus longè aliter, *Legem*, inquit, *abrogamus* per fidē? *absit. Imò vero stabilimus.* Et S. Augustinus. *Quis*, inquit, *ita impius est, vt dicat, se propterea præcepta non seruare, quia Christianus sit, non sub lege, sed sub gratia?*

Rom. 3.

Lib. 3. contra 2. epist. Pelag. c. 4.

Deinde nonne hoc securis in iugulo legis, cum præcepta eius grauia, difficilia, atque adeò impossibilia statuunt: contra disertam Christi, & charissimi eius discipuli vocem? Cùm tabulas eius tam miserè discerpunt, plurimosq; veteris testamenti libros è canone eiiciunt? Qua de re alibi commodior dabitur disputandi occasio.

Luth Tom. 1. Ienens. f. 455 & Tomo 6. VVit. fol 503.

Matth. 11.

1. Ioan. 5.

Sed hic in procinctu stant aduersarii, præceptumque secundum nobis de imaginibus erasum exprobrant: cuius sacrilegii tuendi causa postea decimum in duo diuiserimus: quæ res tanquam grauis momenti silentio hic prætereunda non est.

Obiectio, de præcepto secundo à Catholicis sublato.

Cæterùm iniuriam faciunt insignem Catholicis, cùm de castrato decalogo quiritantur. Neq; enim præceptum de sculptilibus sublatum est, sed honoratiori à nobis sede constitutum, primoq; tanquam manifesta appendix additum: quod & ratio & maiorum authoritas suadet. Nam quis nescit, vnam eandemq; religionis virtutem, summi videlicet Dei vnius cultum, vtrobique præcipi, & ad idem peccatū sacrilegii transgressio-

greſſionem vtriuſq; referri? Vnde D. Augustinus appoſitè: *Reuera*, inquit, *quod dictum eſt, non erunt tibi dii alii præter me, hoc ipſum perfectius explicatur, cùm prohibentur colenda figmenta.* Et poſtea. *Quo pertinet, non facies tibi idolum, neq; vllum ſimulachrum, quæcunque in cœlo ſunt ſurſum, & quæcunq; in terra deorſum, & quæcunq; in aquis ſub terra, nõ adorabis illa, neq; ſeruies illis: niſi ad illud, quod dictum eſt, non erunt tibi dij alij præter me?* ***Auguſtin. quæſt. 71. ſupra Exodum.***

Iam noni & decimi præcepti diſtinctionem ſecundùm Catholicos, etſi quidam non ſequuntur, (vt Ioſephus 3. Antiquit. cap. 6. & 8. Origenes homilia 8. in Exodum. Ambroſ. & Hieronym. in c. 6. ad Epheſ. Procopius & Rupertus in cap. 20. Exodi:) tamen alij non minoris authoritatis doctores omnino approbant & confirmant: quemadmodum videre eſt apud Clementem Alexandrinum lib. 6. Strom. cap. 8. apud Auguſtinum quæſt. 71. in Exodum. & Epiſtola 119. cap. 11. Et in Pſal. 32. Concione 1. Libro de decem Chordis 3. cap. 5. 6. 9. Et communiter Scholaſticos in 3. Sentent. diſtinct. 37. Nec cauſa diſtinctionis obſcura eſt. Præterquam enim, quod ipſe tenor verborum, vt D. Auguſtinus notauit, duo iſta præcepta diſtinguit, cùm bis concupiſcendi vocabulum repetitur: planum eſt etiam, præceptum decimum latius eſſe nono, cùm hoc vnius ſpeciei, illud vniuerſæ rei alienæ concupiſcentiam prohibeat: Et vitia ipſa prohibita in ***Noni & decimi præcepti diſtinctio.***

genere turpitudinis plurimum differre, cùm concupiſcentia rei alienæ ad furtum ſpectet, præceptoque ſeptimo contineatur: concupiſcentia autem vxoris alienæ ad fornicationem, & præcepto ſexto vetita, propter crebritatem delicti denuò repetatur.

Catholici ab idololatriæ crimine vindicantur.

Quocirca de integritate legis diuinæ puri ſunt Catholici, & rei potius nouatores, vt vidimus. Puritatem quod attinet, deinceps videbimus, vtra ex parte ſit caſtior doctrina.

Caluinus lib. 1. Inſtit. c. 11. §. 11. & c. 12. §. 1. 2. Centur. Magdeb. Cent. 1. lib. 2. c. 4.

Enimuero Catholicis magna hic lis de idololatria mouetur, ſed fruſtra. Neque enim vllum Deum agnoſcunt, præter vnum ſolum & verum Deum, Patrem Domini noſtri Ieſu Chriſti, qui fons vitæ & bonitatis ſolus intimi cordis fiduciam ac reuerentiam ſibi flagitat, nec gloriam ſuam alteri dabit.

Auguſt. 20. contra Fauſtum c. 21.

Interim *colimus martyres eo cultu dilectionis, & ſocietatis, quo & in hac vita coluntur ſancti Dei homines, ſed illos tantò deuotius, quantò ſecurius, poſt incerta omnia ſuperata.* Imagines verò, quod habemus, ac ſanctos amica & familiari prece ad iuuandum nos laceſſimus, nulla idololatria, nullum ſacrilegium eſt. Diſtinguatur fons ab riuulis: Internoſcatur rex à ſubditis, auditor à precantibus: videbis Domino honorem tribui gloriæ, hominibus mercedem gratiæ. Nec finge nunc ſurdos vel cœcos cœlites. Sanè vident in luce domini proſtratos, audiunt clamantes, iuuant deuotos: neſciunt verò eos, quorum

rum opera nesciendo improbant, improbandoque à thrōno Domini repellunt. Neque imagines sanctorum idola vocares, nisi Copronymum magis patrem, quám Catholicam matrem agnosceres. Iste enim primus decretum fecit, vt sacræ imagines idola vocarentur, & eorum cultores idololatræ. At mater omnium nostrum Ecclesia Synodo 7. sess. 7. *Qui venerandas*, inquit, *imagines idola appellat, anathema.*

Imaginis & idoli differentia.

Ac sanè intolerabilis est ista confusio, cùm *longe aliud sit, facere idolum, aliud similitudinem. Si quis enim quolibet metallo auri, vel argenti, vel ligni, vel lapidis, faciat speciem quadrupedis, vel serpentis, vel auis, & statuat illam adorandam, non idolum, sed similitudinem fecit: vel etiam si picturam ad hoc ipsum statuat, nihilominus similitudinem fecisse dicendus est. Idolum verò facit ille, qui secundum Apostolum dicentem, quia idolum nihil est, facit quod non est. Quid est autem, quod nō est? species quam non vidit oculus, sed ipse sibi animus fingit, verbi gratia, vt si quis humanis mēbris caput canis aut arietis formet: vel rursus in vno hominis habitu duas facies fingat &c. idcirco hæc sciens Apostolus dicit: quia idolū nihil est in mundo.* Eodē modo Oecumenius & Theodoretus idolum & imaginem distinguunt: vt imago sit rei alicuius possibilis similitudo: idolum verò rei minimè subsistentis nec possibilis simulachrū. Quanquā secundum Sanderū, *Omne id quoq; vocatur idolū, quod etiā*

Origen. homil. 8. in Exodum.

Oecum in 1. Cor. 8. Theodoret. q 38. in Exo. Vazquez. lib. 2. de adorat. disp. 1. cap. 1. Sanderus lib. 1. de imag.

si rem subsistentem repræsentet, non tamen ea ratione, quæ illi secundum naturam aut gratiam inest. quemadmodum imago Veneris aut Saturni, quæ illos tanquam deos deasue repræsentat, cùm illud neque natura neque gratia fuerint. In quam acceptionem consentit quoque Augustinus, Tertullianus & Euthimius. Sed benè monent authores, latiori quoq; significatione idoli vocabulum vsurpari, pro omni eo, quod non est Deus, & tanquam Deus colitur, siue sit imago & simulachrum, siue res alia quæcunq;, quia adoratione huiusmodi idololatriæ crimen cõtrahitur. At imago est similitudo alicuius exemplaris veri, quæ si rem dignam veneratione repræsentet, cum ipso exemplari, suo modo honorari potest.

August. li. 6. quæst. Veter. Testa. quæst. 41. Tertul. lib. de idol. cap. 4 Euthim. in Panopli. tit. 23. Vazquez. lib 2. de adorat. disput. 1. cap 3.

Quare integritatem ac puritatem legis in Catholica sartam tectam esse, liquidò demonstrauimus. Vnum enim Deum & trinum, proculcatis omnibus idolis, diuino cultu solum prosequitur; scelera contra rationem & legem admissa, seuerissimè quantum potest, plectit & prohibet: de omnibus Christianæ fidei articulis, prout à scriptura, & sanctis patribus conciliisq; edocta est, rectè sentit atq; loquitur; nullâ superbiâ tumida, nullâ peruicaciâ turbulenta, nullâ nouitate corrupta, quemadmodum apud nouatores videre est.

Antithesis doctrinæ aduersariorum.

Illi enim etsi verbotenus scelera nulla præcipiunt, & non nisi vnũ verũ Deum se colere pro-

re profitentur, tamen fidei ſuæ vanitate ac falſitate ab illo vno Deo tãtoperè aberrant, vt meritò Deum factis negare, atque idolum cerebri ſui colere dicantur. Quod etſi alij acerbius vehementiusq; oſtendere conati ſunt: tamen nos maledicentiam aduerſus hoſtem etiam improbantes, paulò maiori modeſtia & humanitate demonſtrare aggrediemur, capitibus quibusdam doctrinæ in medium adductis, quibus admiranda Dei puritas quaſi labe aſperſa maculari, deque gloriæ ſuæ ſolio deturbari videtur. *Philippus Nicolai.*

Primùm enim quale illud eſt, quod Caluinus cum ſua ſchola aſſerere non dubitat, Deum, quem ſcriptura dicit iniquitatẽ nolle, omnesque qui ab eo fornicantur, odiſſe, peccata non tantum permittere, ſed velle etiam fieri, quæcunque fiunt ab hominibus ſceleratè? ſic enim 1. Inſtitut. cap. 18. §. 1. *Abſurdum* inquit *videtur, volente ac iubente Deo excæcari hominem, qui mox cæcitatis ſuæ pœnas daturus eſt. Tergiuerſando itaque effugiunt, Dei tantùm permiſſu non etiam voluntate hoc fieri. Ipſe verò palam ſe facere pronuncians, effugium illud repudiat.* Et in libro de æterna Dei prædeſtin. pag. 944. *Hinc certè iam colligere promptum eſt, quam inane & fluxum ſit illud diuinæ iuſtitiæ patrocinium: quæ mala ſunt, non eius voluntate, ſed permiſſu duntaxat fieri.* Et pag. 946. *Ergo cùm iuſta de cauſa licet nobis ignota, à domino procedant, quæ ſceleratè ab hominibus maleficia perpetrantur* *Pſal. 5.* *Pſal. 72.*

 etiamſi

etiamsi rerum prima causa sit eius voluntas, peccati tamen eum esse authorem nego. Theologiam miram! Deus author peccati non est, & tamen voluntate ac iussu eius homines mox mactandi excæcantur. Quasi verò permissionis voluntas voluntatē peccati euincat: cúm vtiq; volens permittere possim id, quod fieri nolo, factumq; contra ius fasq; libera voluntate, punire constitui. Nec vsquā se facere Deus peccatū testatur, nisi quatenus est causa rerum generalis & indifferens, quæ nullā particulari agenti necessitatē affert, sed ab ea potius liberè ad hāc vel illam facti speciē determinatur: quemadmodū solis influxus ad maturitatē & putredinē, ad mollitiem & indurationē, pro diuersi subiecti ratione.

Deinde nunquid hoc ad veri Dei purissimam facit naturam, quòd porrò addit Caluinus, non solùm velle eum fieri, sed etiā ab omni æternitate decreuisse vt fierent, quæcunq; fiunt ab hominibus peccata: inprimisque hominis primi lapsum, quem ab omni æternitate voluerit & decreuerit, non antè præuisa determinatione humanæ voluntatis, sed ex mero & absoluto beneplacito, adeò vt Adam necessitate quadam lapsus sit, neq; lapsum euitare potuerit. Caluinus 3. instit. cap. 23. §. 7. *Disertis verbis hoc extare negant, decretū fuisse à Deo, vt sua defectione periret Adam, quasi vero idem ille Deus, quē scriptura prædicat facere, quæcunq; vult, ambiguo fine condiderit nobilissimā creaturam.* Et paulo post. *Decretū qui-*

quidem horribile, fateor: inficiari tamen nemo potest, quin præsciuerit Deus, quem exitum esset habiturus homo, antequam ipsum conderet, & ideò præsciuerit, quia decreto suo sic ordinauerit. & §.8. *Cadit homo Dei prouidentia sic ordinãte.* & §.9. *Excusabiles peccãdo haberi volunt reprobi, quia euadere nequeãt peccandi necessitatem, præsertim cũ ex Dei ordinatione sibi iniiciatur huiusmodi necessitas.* Sic in libr. de æterna Dei prædest. pag. 906. *Ad iustã hominis damnationem satis erat, in via salutis cùm esset collocatus, inde sponte excidisse. At fieri aliter non potuit. quid tum? an ideò culpa liberatur, quæ tota in eius voluntate residet?*

Pròh Deum immortalẽ, quid horribilius? Dominus Deus misericors & lõganimis, qui non vult mortem peccatoris, sed omnes vult saluos fieri, ille non præuidit solùm lapsum hominis, sed præordinauit quoq;, vt necessariò fieret, atq; ab homine euitari nõ posset. quis vnquã Christianus hoc sensit? Augustinus lõgè aliter, *Deus* inquit *ordinator & creator omnium rerum naturalium: peccatorũ autem tantùm non ordinator.* Et alibi. *Omnes naturas atq; substantias, quæ nõ sunt quod tu es, & tamen sunt, tu fecisti: & hoc solum à te non est, quod nõ est, motusq; voluntatis à te, qui es, ad id quod minus est, quia talis motus delictum atq; peccatum est. Et quod nullius peccatum, aut tibi nocet, aut perturbat ordinem imperii tui, vel in primo, vel in imo.* Præuidit ergò sanè Deus, hominẽ à se in isto statu condendũ, lapsurum: sed

August. 1. confess. cap. 10.

August. 12. confess. cap. 11.

ſed non vt laberetur, præordinauit: nec aliter præuidit, quàm lapſus eſt, liberâ ſcilicet voluntate, nullo occulto impulſu aut inſpiratione, aut infallibili neceſſitate. Et quoniam viſio illa Dei ſimplex decretum præceſſit, ſanè admiſſurum ſe lapſum hominis decreuit, verùm haud aliter, quàm quomodò futurum præuiderat: non præordinatum à ſe, ſed à liberrima hominis voluntate contingenter conceptum. Quod autem contingentia etiam certò præuidet Deus, exquiſitam eius naturam arguit, non creaturarum neceſſitatem.

Tertiò adhuc grauius in naturam veri Dei impingit Caluini ſchola, cùm inſuper Deũ imperare Satanæ atque improbis ſtatuit, vt maleficia cõcipiant, eosq; ad hoc inclinare, impellere, cogere ac trahere. Aretius in caput 1. ad Romanos, & in problematibus, loco de tentatione, Caluinus itidem 1. institut. cap. 17. §. 11. *Verum vbi in memoriam reuocant, diabolum totamque improborum cohortem ſic omnibus partibus manu Dei tanquam fræno cohiberi, vt nec concipere vllum aduerſus nos maleficium, nec conceptum moliri, nec ad perpetrandum, ſi maximè moliantur, digitum mouere queant, niſi quantum ille permiſerit, imò niſi quantum ille* MANDARIT: *nec compedibus tantum eius teneri ligatos, ſed etiam ad obſequia præſtanda frœno cogi: habent vnde ſe prolixè conſolentur. Nam vt domini eſt eorum* FVROREM ARMARE, *& conuertere, deſtinareq́;*

quo

quò libuerit, &c. Ibidem cap. 18. §. 2. de sceleribus Assyriorum: *apparet certa destinatione Dei fuisse impulsos*. & §. 4. *Homo iusto Dei impulsu agit, quod sibi non licet*. Zuinglius sermone de prouidentia cap. 6. *Nec dicet quisquam, innocens igitur est latro: Deo enim impulsore egit. Nam contra legem peccauit. At inquies, coactus est ad peccandũ. Permitto inquam, coactum esse, sed in hoc, vt & alter transferretur, & alter cruci adfigeretur.*

Heu fatum! cogit Deus homines ad peccandum, operatur in mentibus eorum, vt maleficia concipiant: & peccantibus tamen tam graues pœnas irrogat. Quis hoc de numine optimo sibi persuadeat? Sanè verum est, refrenare sæpius Deum maligna impiorum consilia, eosque à sceleribus exequendis prohibere, ne furore suo pios conculcent: sed vt maleficia indat mentibus, vacãtes quasi aliquò trahat, inclinet, & flectat quocuuque fine bono, aut malo, nulla vnquam religio vel mutire ausa est. Longè aliter Paulus, *Non sunt facienda mala, vt eueniant bona*. Nec cum scriptura vspiam præcipere Deum improbis dicit, tam asperè mandati voce vtitur. Præcipit pœnam Dauidi ad correctionem; non præcipit maledictum Simei ad reatum: nec aliter nisi sinendo & gratiam subtrahendo præcipit, cùm iustè peccatis hominũ propria voluntate conceptis ad iustitiæ vindictam vtitur. Rom. 3.

Sed pergunt aduersarii, suamque de Deo fidem

fidem latius explicant, operari Deũ in mentibus hominum impiorum nõ generali tantum, sed speciali quoq; motione, & per eos tanquam per sua instrumenta velut primariam causam agere, quæ respectu hominum dicuntur, & sunt vere peccata. Caluinus lib. 1. Instit. cap. 18. §. *1. quod autem nihil efficiant homines, nisi arcano Dei nutu, nec quicquam deliberando agitent, nisi quod ipse iam apud se decreuit, & arcana sua directione constituit, innumeris & claris testimoniis probatur.* Et §. 2. *à Deo ipso manat efficacia erroris, vt mendaciis credant, qui renuunt parere veritati.* Et libr. 2. Instit. cap. 4. §. 2. *Omitto hic vniuersalem Dei motionem, vnde creaturæ omnes vt sustinentur, ita efficaciam quiduis agendi ducunt. De illa* SPECIALI ACTIONE *tantùm loquor, quæ in vnoquoque facinore apparet. Idem ergo facinus Deo, Satanæ, homini assignari, videmus non esse absurdum.*

Beza in responsione ad Sebast. Castalionem de æterna Dei prædestinat. aphorismo 22. *Sic autem agit per illa instrumenta (mala) vt non tantum sinat illa agere, nec tantùm moderetur euentum, sed etiam excitet, impellat, moueat, regat, atque adeò, quod omnium maximum est, etiam creet, vt per illa agat, quod constituit.*

Quod quid aliud est, quàm manifestè Deum, & quidem solum (quod sine horrore dicere non possum, nec in vlla ciuitate

dici

dici debere, gentes ipsæ agnouerunt) peccati authorem constituere? Nam si impij sunt instrumenta Dei in facinoribus malis: & verum est, quod ipsi Caluinistæ nobiscum fatentur, *quod ab administra vel instrumentali causa factum est, id causæ principali imputari, & acceptum ferri: vt 2. Sam.12.v.9. cùm ait Propheta Nathan Dauidi, Vriam Chittæum percussisti gladio, vt vxorem eius assumeres tibi in vxorem. Nam occidisti eum gladio Ammonitarum*: Quis ita cæcus est, quin omnia vniuersi mundi grauissima scelera in vnum Deum authorem refundenda cognoscat? Quod ita clarè ex prædictis hypothesibus sequitur, vt Zuinglius ipse abnuere non potuerit, nec voluerit. Vnde eius tam præclara vox in sermone de prouidentia cap. 5. *Porrò iniustitiam in sese nobis ostendere numen cùm nulla ratione posset, vt quod vndique verum, bonum, sanctum naturâ sit, per creaturam iniustitiæ exemplum produxit. Non quasi illam creatura suo marte produxerit, quæ nec est, nec viuit, nec operatur sine numine, sed quod* NVMEN IPSVM AVTHOR EST EIVS, QVOD NOBIS EST INIVSTITIA, ILLI VERO NVLLATENVS EST. O inconsideratam vocem! quis vsquam tam ferox aut vecors est populus, qui vel in mediis Idolomaniæ tenebris hoc vnquam asserere ausit? Non verum Deum colunt, qui sibi tale numen imaginantur: sed horrendum idolum humani cerebri

Amandus Polanus li. 1. logica pag. 12. & 13.

bri, quo & religio omnis, & virtus, & quicquid vſpiam ſacrum ſanctumque eſt, vno quaſi ictu proſternitur, & pedibus conculcatur.

ARGVMENTVM II.

ZACH. VRSINVS.

Euangelii congruentia cum iuſtitia Dei.

II. *Euangelium oſtendens exitum & liberationem è peccato & morte. proculdubio enim ea doctrina & religio, quæ modũ euadendi ex peccato & morte citra violationem iuſtitiæ diuinæ oſtendit, & firmam conſolationem de vita æterna conſcientiis præbet, vera eſt & diuina.*

IVST. CALVINVS.

Alterâ hac notâ ex Euangelio deſumptâ quod citra vllam diuinæ iuſtitiæ violationem exitum & liberationem à peccato & morte oſtendat, non minus proteſtantium doctrina erronea, quàm Catholica vera demonſtrabitur. Nam quia ſalus hominis in iuſtificatione conſiſtit, eaque à Catholicis ita diſtinguitur; quod propter ſufficientiſſimum Chriſti λύτρον in Baptiſmo quidem pleniſſima omnium debitorũ remiſſio fiat, ſine vllo interueniente hominis merito, ex ſola Dei in Chriſto gratia: quod etiam ibidem noua homini dona ac virtutes diuinitûs ad nouam vitam infundantur; quæ neglecta poſteà, minuſque ad pugnam exercita denuò

denuò hominem reum faciant offensæ Dei, à qua pœnitentiæ Sacramento restaurandus & de nouo quasi saluandus est, aliter tamen quàm anteà, interueniente nimirum propter admissæ culpam negligentiæ, ipsius hominis dolore ac contritione, confessione quoque, & explicatione debita temporalis mulctæ, quæ remissa propter Christum gratis, etiam sine vllo hominis merito, pœna æterna, & reconciliata Dei gratia, luenda tamen superest: nulla hic nobis diuinæ iustitiæ perturbatio obiici potest. At illi enormiter in diuinam iustitiam impingunt, dum eandem iustificationis in Baptismo, & pœnitentiæ Sacramento rationē statuunt, vtramque nudè sine vllius operis interuentu, fide sola fieri contendentes. Quam sententiam D. Chrysostomus refellit lib. 3. de sacerdotio, & Cyrillus lib. 12. in Ioannem cap. 56. & Clemens Alexandrinus apud Eusebium lib. 3. historiæ cap. 17. vbi manifestè duos illos remittendi modos distinguunt: & ad hunc posteriorem lachrymas, orationes, ieiunia flagitant. Qua de causa rectè Concilium Tridentinum. *Diuinæ* inquit *iustitiæ ratio exigere videtur, vt aliter ab eo in gratiam recipiantur, qui ante Baptismum per ignorantiam deliquerunt, aliter vero, qui semel à peccati & dæmonis seruitute liberati, & accepto Spiritus Sancti dono scientes templum Dei violare, & Spiritum Sanctum contristare non formidauerint*. Cuius rei causam manifestè satis indicat

Sess. 14. cap. 18.

C Do-

Dominus Lucæ 12. *Seruus qui cognouit voluntatẽ Domini sui, & non præparauit, neque fecit secundum voluntatem eius, vapulabit multis.*

ARGVMENTVM III.

ZACH. VRSINVS.

Antiquitas

III. *Antiquitas huius doctrinæ, quæ reperitur vetustissima. Sola enim Ecclesiæ doctrina in scripturis tradita, orginem suam ad ipsum Deum referre potest, & propagationem continuam ac certam inde ab initio mundi ostendere. Alias verò religiones omnes aliis temporibus, post illam exortas ac recentiores esse, collatio historiarũ, totius mundi, cum historia sacra ostendit. Cùm igitur antiquissima religio haud dubiè sit verissima (primam enim religionem homines à Deo acceperunt) sequitur, Ecclesiæ doctrinam solam veram & diuinam esse.*

IVST. CALVINVS.

Tertia hæc nota, Antiquitas, latum nobis dicendi campum aperit. Sed nolumus esse in re manifesta prolixi. Summa est, antiquissimam doctrinam esse verissimam. Sicut enim Deus prior est diabolo, & Ecclesia prior hæresi: sic Catholica doctrina tempore & authoritate omnes omnium hæreticorum laruas exsuperat. Et possumus per Dei gratiam facilè originis nostræ initiũ ad ipsum Christum, per intermediam successionem, atque omnium ordine seculorum consensum, referre

ferre: cùm de hæreticis quibuſcunque huius ſeculi certum ſit, vbi, quo tempore, qua occaſione, quibus auctoribus nati atque educati ſint, quamque dubio paſſu huc vſque ſuum curriculum deduxerint. Lutherus tuba huius ſacri belli, anno 1517. ſonare cœpit. Sectatores ſuæ doctrinæ inuenit multos, ſed paucos Præceptores. Hunc inſecuti Zuinglius & Caluinus, totaque illa ſeditioſorum familia, qui etſi magnoperè profeſſionis ſuæ antiquitatem prædicant, quod ſit Catholica, quod Apoſtolica, quod Orthodoxa: nullo tamen vinculo intermedij conſenſus cum Chriſto & Apoſtolis eam connectere poſſunt. Alioqui quæ illos intemperies ad tantum patrū contemptum impellere poſſet? Veræ enim doctrinæ propagatio per legitimos fit paſtores & Epiſcopos, ab Apoſtolis per legitimam ſucceſſionem & ordinationem deſcendentes: quibus quia nouatores certiſſimè deſtituuntur, meritò illis cum Tertulliano inſultabimus: *poſterior noſtra res non eſt, imò omnibus prior eſt: hoc erit teſtimonium veritatis vbique occupantis principium. Ita ex ipſo ordine manifeſtatur, id eſſe Dominicum & verum, quod ſit prius traditum. Id autem extraneū eſt & falſum, quod ſit poſterius immiſſum.* Et ibidem. *Edite origines Eccleſiarū veſtrarum, euoluite ordinem Epiſcoporū veſtrorū, ita per ſucceſſionē ab initio decurrentem, vt primus ille Epiſcopus aliquem ex Apoſtolis vel Apoſtolicis viris habuerit authorem*

de præſcrip. cap. 35.

cap. 31.

cap. 38.

 & ante-

& antecessorem. Hoc enim modo Romanorum Ecclesia Clementem à Petro ordinatũ refert, &c.

Propterea frustra non est, quod in linea illa successionis recitanda, tam studiosi fuerunt sancti Patres. Irenæus lib. 3. cap. 3. enumerat omnes Episcopos Romanos à Petro ad Eleutherium vsque, ac dicit, *per hanc successionem confundi omnes hereticos.* Eusebius in historia & in chronico: nec non Hieronymus ac Prosper in eiusdem chronici continuatione idem diligentissimè præstiterunt.

Optatus Mileuitanus lib. 2. contra Parmenianũ, simili instituto enumerat omnes Romanos Pontifices, à S. Petro ad Syricium vsque, qui tunc sedebat: Et sanctus Augustinus à Petro ad Anastasium vsque: concludens alibi. *Numerate sacerdotes vel ab ipsa sede Petri, & in ordine illo patrum, quis cui successerit videte. Ipsa est petra, quam non vincunt superbæ inferorum portæ.*

August. epist. 165. ad Generosum

In Psalmo contra partem Donati.

Quid iam de Luthero, Caluino, & similibus? Rectissimè in illos quadrabit istud Cypriani: *In Ecclesia non est Nouatianus, neq; Episcopus computari potest, qui Apostolica traditione contempta nemini succedens, à seipso ordinatus est.* Et in fine. *Aut pastor haberi quomodo potest, qui manente vero pastore, & in Ecclesia Dei ordinatione succedanea præsidente, nemini succedens, & à se ipso incipiens, alienus fit & prophanus.*

Cypr. lib. 1. epist. 6.

At nostra, inquiũt, doctrina nihilominus antiqua & Apostolica est, etiamsi per istam succes-

Caluinus præfat. In-

successionis pompam non fuerit ad nos propagata. Illud enim Antichristi Tyrannide factũ est, qua pressa Ecclesia caput erigere non potuit. Interim in mediis tenebris semper aliquos conseruauit Dominus, qui rectè crederent, & publicis etiam erroribus reclamarent. At inquam ego, semper ne pressa fuit Ecclesia vestra ab Apostolorum tempore, an aliquando erecto capite stetit? Si hoc vultis, ostendite vllius seculi doctores, qui vobiscũ faciant, & vestros ritus institutaque similiter tenuerint? Quod si facere possetis, non tot vobis scopuli & næui in patribus quibuscunque viderentur. Magdeburgenses certè Centuriatores, in omnium centuriarum quarto capite circa finẽ, vel inuiti annotant, qui autores nostra dogmata defenderint: vel potius quám constanter & publicè ab omnib. religio Catholica defensa fuerit. Vestra autẽ, quod vnquam ab orthodoxis defensa fuerit doctrina, Illyricus quidem magno opere demonstrare conatur: sed pueriliter & frustra, vt infra audiemus. Quod si illud magis placet, cogitate quám iniurii sitis veritati, quám iniurii promissionibus Christi, qui nunquam portas inferorũ præualituras Ecclesiæ suæ dixit. Quod si enim tot annorum centurias sub Antichristi iugo detenta fuit captiua Ecclesia; quod si in penetralibus & angulis cõtinuò latuit, quomodò nõ præualuerunt portæ inferorũ? quomodo non miserior Christianorũ, quàm ipsorum Iudæorum conditio est, qui

stitut. ad Regem Gallia.

Centuriatores.

& olim in Veteri Testamento publici cultus splendore viguerunt: & hodie semper aliquibus conuenticulis solennitates suas celebrare potuerunt, vt taceam *Ecclesiam sine pastoribus & sacerdotibus consistere non posse*: quemadmodum rectè B. Hieronymus contra Luciferianos asserit: neque etiam sine confessione: quæ si non publica sit, ne confessio quidem erit. *Corde enim creditur ad iustitiam, ore fit confessio ad salutem.* Rom. 10.

Neque hic nobis scripturam vel Apostolos ingeminate: quæ vana gloriatio est: cùm in eo ipso controuersiæ cardo vertatur, vtrum malè vel benè scripturas Canonicas interpretemini: qua de re postea vberius.

ARGVMENTVM IV.

ZACH. VRSINVS.

Miracula. IV. *Miracula, quibus Deus inde ab initio mundi hanc doctrinam confirmauit, & quæ diabolus non potest imitari, ne per speciem quidem, vt sunt suscitatio mortuorum, status & regressus solis, diuisio maris & fluminum, partus virginis & similia. Quæ cum solius Dei sint opera, ad confirmandam Prophetarum & Apostolorum doctrinam edita: Deus verò mendacio testimonium non perhibeat: doctrinam eam à Deo profectam & verissimam esse euincunt.*

IVSTVS CALVINVS.

Non minus hæc nota, quàm præcedentes

doctrinæ

doctrinæ Catholicæ sinceritatẽ, & sectariæ falsitatem coarguit. Etsi enim verũ agnoscimus illud Augustini, *necessaria fuisse miracula, priusquã crederet mundus, ad hoc, vt crederet mundus: vt qui nunc adhuc prodigia, vt credat, inquirit, magnum sit ipse prodigium, qui mundo credente nõ credit. Christus enim primo afferens medicinã, quæ corruptissimos mores sanatura esset, miraculis conciliauit authoritatẽ, authoritate meruit fidem, fide contraxit multitudinem, multitudine obtinuit vetustatem, vetustate roborauit religionem: quam non solum hæreticorum ineptissima nouitas fraudibus agens, sed nec gentium quidem veternosus error violenter aduersans, aliqua ex parte conuelleret*: tamen quemadmodum olim Apostolis prædicantibus *cooperatus est Dominus, eorumq; sermonem sequentibus signis confirmauit*: sic nunquam Ecclesiæ Catholicæ virtutes & signa defuerunt, quibus increduli ad fidem conuerterentur, & doctrinæ puræ diuinitas comprobaretur. Magdeburgenses ipsi singulis centuriis capit. 13. vel inuiti ex historiis annotant, quibus singula sæcula apud Catholicos miraculis claruerint. Quæ quamuis audacter pro dæmonum illusionibus, vel falsis narrationibus respuant & condemnent: tamen nihil argumenti, præter opinionem suam adferunt, & quod Lutheri Zuingliiue Euangelio aduersentur. At valdè iniquum est, feræ potius impudentiæ, quàm priscæ & admirandæ vetustati crede-

lib. 22. de ciuit. Dei. cap. 8

August. libro de vtilitate credendi. cap. 14.

Marci 16.

Nota.

re. Quæ si ratio inualescat, omnium librorum fides peribit, neque vllius authoris historia certam merebitur fidem: quemadmodum rectè olim Augustinus paganis miracula Christi & Apostolorum negantibus restitit. Quod verò dæmonum præstigiis annumerant Catholica miracula, vetus blasphemia est Scribarum & Pharisæorum, *qui Dominum quoq; per Beelzebub dæmonia eiicere* criminabantur. Et Pagani olim Martyres ob miracula *Magos & Necromantas* vocabant: nec minus ipsi quoq; hæretici Catholicorum miracula multis nefariis calumniis incessebant: quemadmodum Hieronymus & Ambrosius testantur.

lib. 10. de ciuit. Dei. cap. 18.

Matth. 12.

Hieronymus contra Vigilant.

Ambros. sermone de SS. Geruasio & Protasio.

Non expecto nunc, vt Antichristi futura miracula recenseant: quæ si valdè vrgent, totum suum argumentum eneruant, & ab Apostolo disertè falsa & mẽdacia nuncupari ignorant. Nec aliter Augustinus Donatistarũ mira reiicit, quàm quod vel occulta in visionibus, vel mendacia, & extra Ecclesiam essent: quæ ipsi tã nota omnibus videbatur esse debere, vt etiã scribere auderet, *quæcunq; talia in Catholica fiũt, ideo sunt approbanda, quia in Catholica fiunt, nõ ideo ipsa manifestatur Catholica, quia hæc in ea fiũt*: quę tamẽ cũ grano salis accipiant aduersarii, ne suas ipsi oues flagelliẽt. Nam alioqui plurimi fecisse Augustinũ miracula patet ex libro eius 22. de ciuitate Dei, vbi contra Paganos plurima miracula ad reliquias sanctorũ, Stephani inprimis protomartyris,

2. Thess. 2.

de Vnitate Ecclesiæ cap. 19.

Lege lector illud caput, sapies melius.

martyris, facta commemorat. Et in libro de vtilitate credendi ad Honoratum, nec non contra epistolam Fundamenti. cap. 4. dicit, *se in Ecclesia vinculis miraculorum teneri.*

Quod si hodie nobis defectum miraculorum opponant, respondebimus cum S. Augustino, *Talia illo tempore facta esse, quo Deus in vero homine, quantum sat erat hominibus, apparebat: nunc autem non fieri, quia non mouerent, nisi mira essent, & si solita essent, mira non essent.* Et tamen vt obturetur os Scribarum & Pharisæorum, etiam hodiè nonnulla fiunt. Exorcismos creberrimos quis ignorat? publicis literis proclamati sunt. Sanationes memoriarum nemo negat, nisi hæretica larua indutus. Noui orbis miracula ita testata sunt, vt ne ipsi quidem hostes sine rubore inficientur.

De vtilitate credendi cap. 16.

Vide Stapletonum prompt. morali. parte 1. p. 63. 64.

Quæ autem protestantium sunt miracula? Lutheri, Caluinique portenta iam in admiratione scilicet omnium. Curantur obsessi, excitantur mortui, nec tamen vsquam conatus reliquit effectum. Vt rectè concludamus cum Tertulliano: *Si alium Deum prædicant, cur eiusdem rebus & literis vtuntur, contra quem prædicant: si eundem, quomodo aliter? alioqui probent se nouos Apostolos, dicant CHRISTVM iterum descendisse, iterum ipsum docuisse, iterum crucifixum, iterum mortuum, iterum resuscitatum. sic enim Apostolus solet facere, dare illis præterea virtutem, eadem signa edendi, quæ & ipse. Volo igitur &*

Surius & Hieronym. Bolsec. in vita Caluini.

De præscrip. aduers. hær. cap. 30.

virtutes eorum proferre, nisi quod agnosco maximam virtutem eorum, qua Apostolos in peruersum æmulantur. Illi enim de mortuis viuos faciebant, isti de viuis mortuos faciunt.

ARGVMENTVM V.

ZACH. VRSINVS.

Prophetia.

V. Oracula & prædictiones rerum futurarum euentibus comprobatæ. Eiusmodi plurimæ in vtriusq; Testamenti libris continentur, & cœlestem eorum originem euidenter confirmant, cum oracula vera edere Dei sit proprium.

IVST. CALVINVS.

Hanc ipsam quoque notam præcedenti affinem in Catholica Ecclesia demonstrare, apud hæreticos ne inuenire quidem possumus. Quid enim vnquam veri prædixit Lutherus, Zuinglius, Caluinus, & similes Prophetæ Euangelici, per quos non potuit stare verum de præteritis, nedum innotescere verum de futuris? Lutherus aliquando vini plenus, inflatis buccis prædixit, *si prædicatio eius pauculos durare annos posset, ad internecionem Papatum periturum, nec vllum templi vel altaris vestigium remansurum.* Sed quàm verè, euentus comprobauit. Prædicat potius illud cum Caluino, *posteritatem tandem fraudes nouatorum censuram, & antiquis viis instituram:* habebit vaticinio suo indies per Dei gratiam in omnibus ditionibus respondentem euentum.

Simile habet. Tom. 6. VVitt. fol. 432. p. 1.

Caluinus præfat. catecheseos.

Luth. Tom. 1. VVitt. f. 285. p. 2.

At

At Catholicis hoc quoque Christianæ fidei insignem nunquam defuit. Præter eos enim, qui primis quingentis annis vaticinati sunt, vt Agabus, Gregorius Thaumaturgus, Antonius, Abbas Iohannes: posterioribus quoque seculis, quæ ob Pontificum authoritatem suspecta habentur, verissimi quidam prædictores futurorum fuerunt: S. Benedictus apud Gregorium lib. 2. dialog. cap. 15. S. Bernhardus in vita ipsius lib. 4. cap. 3. S. Franciscus in eiusdem vita, & multi alii diuersis seculis. Quo dono deinceps Ecclesiam suam perpetuo ornaturam dominũ confidimus: cùm certæ sint illæ promissiones Ioëlis. 2. & Actorum 2. nec nascenti demum, verum etiam crescenti maturæque Ecclesiæ factæ.

Actor. 11. Basilius de spiritu sancto cap. 29. Athanas. in vita S. Antonii. August. lib. 5. de ciuit. Dei cap. 26.

ARGVM. VI.

ZACH. VRSINVS.

VI. Consensus partium doctrinæ Ecclesiæ. Doctrina enim sibi contraria, non est vera nec diuina, cùm verum vero consonet, & Deus sibi non contradicat. At præter solam propheticam & Apostolicam doctrinam religiones aliæ omnes a se ipsis & inter se variè dissident, etiam in fundamento & præcipuis capitibus. Sola igitur Ecclesiæ doctrina vera est & diuina.

Consensus partium doctrinæ.

IVST. CALVINVS.

Præclara iterum nota & vtilis ad omnis ſpiritus diiudicationem: nec ad religionis magis Chriſtianæ contra incredulos confirmationem, quám ad hæreticorum fluxam & fragilem fidem condemnandam. Nam quod S. Gregorius de hæreticis ſcribit, *habere eos hoc proprium, quod in eo gradu, in quo de Eccleſia exeunt, diu ſtare non poſſint, ſed ad deteriora quotidiè ruant, & ſentiendo peiora in multis ſe partibus ſcindant, atque à ſemetipſis plerumque longius confuſionis ſuæ altercatione diuidantur*: id tam dextrè hiſce hominibus competit, vt nemini dexterius. Primúm enim quis varias variorum ſectas recenſeat? quis germinantes adhuc hodie puluerulentarum arborum ramos commemoret? Sectæ plurimæ ſunt, nec tamen vlla ſecta eſt, quin iterum in minutiſſimas partes diſſecta: quemadmodum Auguſtinus olim de Donatiſtis & Maximianiſtis conqueſtus eſt.

Lib. 3. moralium expoſit. in Iob. cap. 19.

Iam reformatorum ipſorum, quæ ſecum domeſtica pugna ſit, paulo accuratius commemorare libet. Turpiſſimam inconſtantiam varia variarum editionum exemplaria produnt.

Lutherus in aſſertione articuli 36. ſummam rerum ſuarum in doctrina de arbitrii ſeruitute conſtituit, aitque: *In cæteris articulis de Papatu, de conciliis, de indulgentiis, aliisq; non neceſſariis nugis, ferendam eſſe leuitatem*

tem & ſtultitiam Papæ & ſuorum. Sed in hoc articulo de ſeruitute arbitrii, qui omnium optimus, & rerum ſuarum ſumma ſit, dolendum ac flendum eſſe, miſeros ſic inſanire.

Et in libro aduerſus regem Angliæ iactat, *adeò ſe certum eſſe de ſua doctrina, vt ſi quis aliter doceat, aut damnet, quæ ipſe ſcripſerit de fide, de operibus, de libero arbitrio, & ſimilibus, is damnet Deum, atque oporteat eum filium gehennæ manere.*

Nunc videamus, quàm in hoc doctrinæ ſuæ capite conſtans fuerit. In aſſertione articuli 36. loquitur: *Liberum arbitrium eſt figmentum in rebus, & titulus ſine re, quia nulli eſt in manu quippiam cogitare boni, vel mali, ſed omnia (vt VVicleſi articulus Conſtantiæ damnatus rectè docet) de neceſſitate abſoluta eueniunt. Quod & Poëta voluit, quando dixit, certa ſtant omnia lege. Et Chriſtus Matth. 6. Folium arboris non cadet in terram ſine patre veſtro.* Et infra. *Non eſt dubium Satana magiſtro in Eccleſiam veniſſe hoc nomen, Liberum arbitrium.*

Vbi apertè Lutherus ſimpliciter liberum arbitrium in omnibus rebus tollit, iuxta hæreſin VVicleſi, ideoque etiam nomen liberi arbitrii damnat. Ex quo factum, vt & librum aduerſus Eraſmum inſcripſerit, *De ſeruo arbitrio.* Iam aduerte, quàm ſe firmum in hac ſtatione præſtiterit. In libro de viſitatione Saxonica, poſterius ſcripto, in articulo de Libero arbitrio, hanc cantilenam canit:

nit: *Multi de libero arbitrio indiſcretè loquuntur* (intellige ipſum Lutherum, Philippum, & aſſeclas eorum qualeſcunque) *idcirco hanc breuem informationem adſcripſimus: Homo habet ex propria virtute liberum arbitrium, ad faciendum & omittendum opera externa, per legem & pœnas adactus. Quapropter poteſt & ſecularem probitatem, & bona opera facere, ex propria virtute à DEO ad hæc data & obtenta. Paulus enim vocat eam iuſtitiam carnis, hoc eſt, quam caro aut homo ex propria virtute facit. Si ergo operatur homo ex propria virtute vllam iuſtitiam, vtique habet electionem & libertatem, & fugiendi malum, & faciendi bonum.* Ibidem. *Voluntas humana eſt vis libera, vt facere poſſit iuſtitiam carnis, ſeu iuſtitiam ciuilem, vbi lege & vi agitur, vt non furari, non occidere, mœchari, &c.*

En conſtantiam Lutheri? Homo liberum arbitrium nuſquam habet, & tamen alicubi habet: quæ ipſa quoque Philippi mutabilitas fuit, vt Bellarminus in hac diſputatione demonſtrauit. Quare ſi auſteriores nos iudices cauſæ huius præſtare vellemus, vtrumq; ſuo gladio iugulare, & horrendis diris ad ipſa tartara deuouere poſſemus. Sed ad alia properamus.

Hominum ipſorum cothurnos verſatiles vidimus: Nunc doctrinæ genium exploremus, quàm arctè inter ſe partium ſingularum vincula cohæreant.

Pri-

Primum profitentur omnes, se nobiscum credere Deum omnipotentem. Et tamen Caluinistæ negant, *Deum vlla vi efficere posse, vt corpus Christi sit realiter præsens in Sacramento.* quæ manifesta antilogia est. Qui enim omnia potest, plus & vltra quàm sensus & cogitationes nostræ capiunt, quare hoc non possit, quod promisit? Nec magis cum natura veri corporis pugnat, verè in Sacramento inuisibiliter & illocaliter esse, quàm amisso pondere aquis inambulare, deposita crassitie clauso vtero & monumento egredi; & clausis ianuis intrare: & quæ præterea mira in hoc miro atque omni humano ingenio imperscrutabili corpore acciderunt.

Contradictiones aliquot hereticorum.
Martyr in dialogo de cœna.

Deinde antilogia est, cum iidem dicunt, Deum esse iustum & misericordem, & tamen sine peccati respectu, mero & absoluto beneplacito, quosdam ad æternam damnationem infallibiliter destinasse.

Beza in respons. ad Sebast. Castalio de æterna Dei prædest. refut. 2. calum.

At inquam ego, præter quam quod crudele est, creaturam sua manu faciendam innoxiam, æterno cruciatui mancipare, ne iustitia quidem Dei hoc admittit. Sicut enim iniustum est in executione damnare hominem nihil mali merentem; ita iniustum est in decreto, decernere hominem damnare, cuius nullum malum extat meritum, ne in præuisione quidem. Deinde magis iniustum est, velle & ordinare integri ho-

Et in resp. ad acta colloquii Mompelga. pag 155 164

hominis lapſum, vt habeas quos iuſtè punias, quám ſimpliciter abſque culpa punire. Vtiq; enim maius malũ eſt culpa quã pœna: & ideo maior iniuſtitia, nihil mali merito authorem culpæ eſſe quám pœnæ. Vnde Augustinus, *Bonus eſt Deus, iuſtus eſt Deus: poteſt ſine bonis meritis liberare, quia bonus eſt: non poteſt ſine malis meritis damnare, quia iuſtus eſt.* Et alibi. *Deus reddit mala pro malis, quia iuſtus eſt, bona pro malis; quia bonus eſt: bona pro bonis, quia bonus & iuſtus eſt: ſaltem non reddit mala pro bonis, quia iniuſtus nõ eſt.*

Lib. 3. aduerſus Iulian. cap. 18. De gratia & libero arbitrio cap. 23.

Tertiò antilogiam faciunt, cúm regnum Chriſti æternum inuictumq;, Eccleſiam etiã Catholicam atq; omnium ſeculorum prouinciarumque fatentur: Et tamen pro pudendæ nouitatis ſuæ velo obtendunt, à temporibus Gregorii magni ad Lutherum, vel nullam, vel planè anguſtam, miſereque Antichriſti tyrannide oppreſſam, ac tantùm non extinctam Eccleſiam fuiſſe, quam ipſi è cineribus reuocatam, nouo ſpiritu animarint. Quod ſi verum eſt, quomodo ſtabit illud, *Regni eius non erit finis?* quomodo rata promiſſio, *Portæ inferi non præualebunt aduerſus eam?* Nam quod latuiſſe fingunt Eccleſiam, maior ſtultitia eſt. Si enim latuit, iam aliquatenus victor eſt Satan. Et ſi à temporibus Gregorii magni latuit, ſanè longiori ſpatio latuit, quám aperta luce inceſſit: quæ intollerabilis in noui Teſtamenti gloriam contumelia eſt.

Luc. 1. Matth. 12.

Quar-

Quarto antilogiam committunt, cùm hominē sola fide, seu fiduciâ diuinæ misericordiæ iustificari dicūt, & tamen fidem illam iustitiâ posteriorem faciunt. Nam si fides illa specialis non posterior iustificatione censeatur, falsa esse conuincitur. Quæro enim, cùm incipio credere, Deum mihi esse propitium, seu quod eodem redit, me propter imputatā, vt loquuntur, Christi iustitiam ex misericordia Dei à peccatis absolutum ac iustum esse, vtrum nō illam iustitiā, meam præcedere intelligentiam necesse sit? Nisi enim præcedat, falsum credidero, & per mendaciū saluabor. Si verò præcedit, quomodo fide iustificor, qui ante fidē, quod credendum proponitur, iustificatus sum? Neq; est, quod dicas, fide speciali non credi, peccata de præterito esse remissa, sed remitti in præsens. Præterquam enim quod Caluinus omnia ad vim æternæ electionis referre solet, & pueros etiam vix natos, nec dum baptizatos, isto prædestinationis iure sanctos saluosq; contendit: Remissio sanè obiectū est fidei meæ, adeoq; necessario prior: quia nunquam fit, vt obiectum per actum suum producatur, cúm obiectū actui essentiam det, non actus obiecto.

Tandem antilogiam multiplicē faciunt, in doctrinâ Sacramentorum. Primúm enim Sacramenta tantúm Euangelii appendices, & fidei excitandæ confirmandæque instrumenta vocant. Et tamen ne Anabaptistis accenseantur, sedulò cauent, ne nuda signa nominent:

minent: viderique volunt omninò coniunctam rerum signatarum exhibitionem credere. Hinc in Baptismo peccata ablui, & in sacra cœna ipsissimæ Christi carnis & sanguinis comunionem admittunt. At nonne ista coniuncta exhibitio cum principali isto Sacramentorum fine, quem statuunt, pugnat? aut si non pugnat, & vtrumque fit, fidei scilicet confirmatio, quod minus est, & gratiæ Christi collatio, quod longè maximum est, quare non à digniori ac principaliori effectu sacramentis denominationem indunt?

Pari ratione cum fine isto Sacramentorũ pugnat pædobaptismus. Nam si Sacramentorũ proprium munus & officium est, fidem excitare & confirmare: quo iure infantibus aqua conceditur, quibus nec fides nec ratiocinatio aut iudicium vllum est? quis verò sine mentis discursu & symbolorum ad signũ relatione fidei suæ vllum argumentum fecerit? Hoc argumentum ita vrsit Lutherum, vt manifesto errore scriberet, *paruulos, cùm baptizantur, verbum Dei audire, Deum cognoscere ac diligere, adeoq; indubitatè credere.* Quod qui credit, necesse est cum ratione insaniat.

De captiui. Babylo. cap. de Baptism. Et in lib. contra Cochlæum anno 23.

Similis antilogia est, cúm in sacra cœna nuda signa esse inficiantur, vereque nobis cum symbolis corpus Domini in salutarem animæ cibum dari admittunt, ita vt substantia carnis Christi pascantur animæ nostræ, & verè vnum cum eo efficiamur: & tamen alibi

Caluinus in 26. cap. Matth & lib. 4 Inst. ca. 17. §. 32. Caluinus in libro de

alibi corpus Christi tanto interuallo ab elementis collocant, quanto abest terra ab altissimis cœlis: negantque in nos ingredi Christi carnẽ, quemadmodũ videre est apud Caluinum libro quarto Institutio. cap. 17. §. 32.

suo cum Tigurinis consensu. Beza in summa doctrina Sacram. qu 6. Caluin. 4. Instit. c. 17. §. 32.

Nunquid etiã hæc aduersis frontibus inter se pugnant, cùm corpus CHRISTI non ore, sed fide tantum manducari contendunt, abutentes dicto S. Augustini, *crede & manducasti*: & tamen alibi manifestè manducationem à fide distinguunt, tantumque inter illa interesse dicunt, *quantum inter manum & aprehensionem, quæ manu fit*? Caluinus expressè dicit contra Zuinglium, comedere carnem CHRISTI, non esse solum credere, sed verè participem fieri carnis eius: ponitque exemplum: *quemadmodùm*, inquit, *non aspectus, sed esus panis alimentum corpori sufficit: ita verè ac penitus participem CHRISTI animam fieri conuenit*. Conciliet ista qui potest, edere esse solum credere, & edere non esse solum credere: in nostra sanè logica aduersis ista frontibus pugnare videntur.

Beza in summa doctrinæ Sacram. q. 9. 10. 11. 13. Beza in lib. de cœna domini contrà VVestphalũ cap. 9. Lib. 4. instit. cap. 17. §. 5.

Nec magis ista cohærent, cùm verba cœnæ *Hoc est corpus meum*, per tropum exponunt, facillimumque illis sensum affingunt, Hic panis est figura corporis mei, quâ reuocetis vobis in memoriam passionem meam & mortem, quaque excitati fide in me toti feramini: quem sensum ipse Martyr in dialogo suo *oppidò quàm facilem & expeditum vocat*: & tamen alibi magnum

Pagina 4.

hic myſterium fingunt, magnamque ſententiæ ſuæ difficultatem prætendunt: quemadmodum Caluinus libro quarto inſtitutionũ capite 17. §. 71. *nihil reſtat*, inquit, *niſi vt in eius myſterii admirationem prorumpam, cui nec mens planè cogitando, nec lingua explicando par eſſe poteſt.*

At ſi nulla ſit realis Chriſti coniunctio nobiſcum, ſed per cogitationem tantùm, vel reſpectum, nullum hîc myſterium eſt, nullum miraculum, nulla difficultas intelligendi. Quis enim non facilè capiat, panem eſſe ſignum corporis, vinum ſignum ſanguinis CHRISTI, non minus quàm circumciſio, paſcha, ſacrificia ſigna futurorum fuerunt? quis non capiat, fidem hiſce ſignis, in CHRISTVM abſentem ferri, ac tanquam teſſera de amore eius confirmari debere? facilia ſunt illa omnia, & humanis ſenſibus accommodata. At ſancti Patres, *ea quæ Chriſtus hoc Sacramento inſtituit, omnem admirationem, omnem mentem, omnemque ſermonem excedere ſcribunt: imò ſenſui ac cogitationi noſtræ planè abſurda videri.* Æſtimet nunc humanus lector ex hiſce pauculis partium doctrinæ nouæ conſenſum, & ſpiritum contradictionis tanquam ex vngue leonem agnoſcat. Plura antilogiarum exempla inſtituti breuitas afferre non patitur: nec opus eſt, cùm in *bello quinti Euangelii* diligentiſſimè quaſi integris faſciculis comportata reperiantur. Quid ergo? Concludamus cum S. Athanaſio in decre-

S. Ephrem in libro de natura Dei cap. 5. S. Chryſoſt. hom. 60. ad popul. Antioch et homil. 83 in Matthæum.

Bellum quinti Euangelii p r Andream Iurgieuiciũ

decretis Synodi Ephesinæ? *Homines ſunt, vt dixit Iacobus, duplici animo, & inſtabiles in omnibus viis ſuis, nec eandem habentes ſententiam, ſed nunc in hanc, nunc in illam ſeſe vertentes, & nunc quidem probantes, quod dicunt: mox verò vituperantes, quod paulo ante laudauerunt. Hoc autem, vt Paſtor ille dicebat, ex diabolo prognatum eſt. Per quod citiùs cognoſcas caupones, quám Doctores. Eſt enim, ſicuti à maioribus traditum eſt, vera doctrina: & hoc veros Doctores arguit, ſi eadem inter ſe profiteantur, neq́; diuerſa ſentiant, vel inter ipſos, vel à ſuis maioribus diſſidentes. Etenim qui hunc in modum affecti non ſunt: improbi potiùs, quám veri Doctores dicendi ſunt.*

ARGVMENTVM VII.

ZACH. VRSINVS.

VII. *Hoſtium confeſſio, quód ipſe diabolus clamare cogitur: Tu es Chriſtus ille filius Dei: & alii hoſtes fateri coguntur, doctrinam noſtrã eſſe veram. Quicquid enim boni & veri in ſuis religionibus habent alii, id etiam, & multò clarius ac ſolidius, habet noſtra religio, & poſſunt conuinci, quód ex noſtra ſint ſuffurati, & ſuis figmentis admiſcuerint, vt ſolet diabolus, Dei ſimia, quædam vera ſuis mendaciis miſcere, quò faciliùs hominibus imponat. Vnde quæ alii noſtræ doctrinæ habent conſentanea, ea non poſſunt refutari, quia ex noſtra ſumpſerunt: quæ verò habent pugnantia, ea facile euertuntur, quia ſunt hominum figmenta.* *Confeſſio hoſtium.*

IVST. CALVINVS.

Quam hostibus Christianorum innocentissima Euangelii veritas extorsit confessionem: eandē quoque nostris capitalibus inimicis vel inuitis à DEO expressam gloriari possumus. Præterquam enim quod omnia passim collegia, cœnæ, congressiones &c. Catholicarum laudum plenæ sunt, ipsique æmuli nostri Catholicorum virorum admirandam sapientiam, doctrinam, prudentiam, pietatem & honestatem agnoscere & prædicare coguntur: ipse etiam Lutherus, qui aliâs Papatum, vt ipsum Antichristianismum, regnumque diaboli non satis insectari, lacerare, conuiciis proscindere, ac diris omnibus deuouere potuit, ita tamen contra Anabaptistas Papæ odio paruulorum baptismum reiicientes scribit: *nos fatemur sub Papatu plurimum esse boni Christiani, imo omne bonum Christianum, atque etiam illinc ad nos deuenisse. Quippe fatemur in Papatu veram esse scripturam sacram, verum Baptismum, verum Sacramentum altaris, veras claues ad remissionem peccatorum, verum prædicandi officium, verum Catechismū, vt sunt oratio Dominica, decem præcepta, articuli fidei. Dico insuper, sub Papatu veram Christianitatem, imo verum nucleū Christianitatis esse.* Idem Tom. 1. f. 12. p. 1. super Epist. ad Galatas. *Romana Ecclesia sancta est: quia sanctum Dei nomen, Euangelium ac Baptismum habet. Quæ res vbi sunt, merito populus esse sanctus populus vocatur.*

Lutheri confessio de Papatu.

Tom. 2. VVitteb. f. 229. p. 2. in Epist. ad duos pastores.

Et in postilla super Euangelium Domini. 1. aduentus: *mundus indies fit deterior, sunt nunc magis homines vindictæ cupidi, magis auari, magis immodesti, & indisciplinati, multoque deteriores quàm fuerint in Papatu.* Similia habet Paulus Eberus præfatione comment. Philippi in Epistol. ad Corinthios. & Caluinus sermone 10. & 30. super epistolam ad Ephesios. Denique Sarcerius in postilla Domini. 10. *Iam ferè in prouerbium abiit,* inquit, *satius & tutius esse in rebus ciuilibus cum mercatore papista agere, quàm cum eo, qui se euangelicum iactat.*

Habes hostium confessionem de fide & moribus nostris satis luculentam: qualem illi ex nobis de se nunquam audient. Cæterum reliquias verorum dogmatum, quæ adhuc nobiscum communia habent, hic commemorare nihil attinet. Constat satis ea & pauca esse, & passim scabie hæretica infecta: quę verò contraria tenent facilis expugnationis, quemadmodum à fortissimis Catholicæ Ecclesiæ defensoribus, Baronio, Bellarmino, Valentiano &c. re ipsa demonstratum est. Optimè *Chrysostomus, concessum est diabolo* inquit, *interdum vera dicere, vt mendacium suum rara veritate commendet.* *Super Matthaum.*

ARGVMENTVM VIII.

ZACH. VRSINVS.

Odium Satanæ & instrumentorum eius aduersus *Odium Sa-*

tanæ ac mundi.

uersus hanc doctrinam. Ea enim religio haud dubiè vera est & diuina, quam omnes mali & ipse Satan vno consensu oderunt & extinctam cupiunt. Nam veritas odium parit: & diabolus est mendax ab initio, & in veritate non stetit. Atqui nullam doctrinam Satan & mundus impensius oderunt & oppugnant, quam doctrinam Ecclesiæ: quia nimirum doctrina Ecclesiæ longè rigidius eos accusat, mendacia eorum sub examen vocat, fraudes detegit, omniaq; idola & vitia damnat, quam aliæ sectæ, quæ ista concedunt, vel etiam defendunt. Mundus me odit, quoniam testificor de eo, quod opera eius mala sint. Si de mundo essetis, mundus quod suum est amaret, &c.

IVSTVS CALVINVS.

Si de hac nota pluribus dixero, & pressis ab aduersario vestigiis rectè institero, malam ab eo gratiam merebor. Ita enim multa aduersus Catholicæ Ecclesiæ hostes dura atque acerba occurrunt, vt si muneri nostro satisfacere velimus, nullius istorum nomini pausuri videamur. Sed ne conuitiis nos faciendis delectari arbitrentur, rem ipsam nudè putabo: quamque prono ac benigno animo in Catholicam fidem mundus sit, considerabo. Turcæ persecutiones, hæreticorum machinationes, Apostatarum ludibria, scommata, sannas, iniurias in res & personas sacras, denique mille diaboli ad obscurandam Romanæ Ecclesiæ lucem technas, quis oratione satis

tis dignâ proſequatur? Neque Eccleſia ipſa noctes diesque in excubiis ſtans, propulſare queat virulentiſſima tela, ab omnibus mundi partibus & angulis cateruatim in ſe miſſa. Hæretici quanto odio in rem Romanam flagrent, vel vnus ille Anglus teſtari poteſt, qui ſæpè pro concione gregi ſuo ſuaſit, & libris editis confirmare ſcilicet conatus eſt, *religionem Romanam magis idololatricam eſſe Turcica*: item *Pontificem periculoſiorem CHRISTI hoſtem eſſe, quam ſit magnus Turca.* Teſtari etiam poſſunt illi milites Zelandi, qui bellum contra Regem Hiſpaniæ inſtructuri, geſſerunt in ſuis vexillis figuram argenteam lunæ creſcentis, cum hac inſcriptione: *potiùs Turcæ, quam Papiſtæ.* Teſtari deniq; poterit ipſe Lutherus, hodiernorum in fide tumultuum tuba, quem tanquam ſtellam cœlo delapſam, clauigerum abyſſi, & mortis ianitorem non immeritò quis dixerit. Is quò liberius in oues Chriſti ſua rabie graſſari, denudataſque omni paſtorũ præſidio longius è ſeptis propellere poſſet, non ſolùm in vita tam inſatiabili in Papam & Papiſtas, vt loquuntur, odio flagrauit, *vt pro verbis mera ſe fulgura ac tonitrua in eos vibrare poſſe optaret*: verùm etiã amicis in conuentu Smalkaldico, cùm lethali morbo correptus diſcedere cogeretur, valedicens, *amorem & benedictionem Chriſti, Papæ verò odium & deteſtationem ſummam precaretur.* Idque tanquam ſacrum quoddam oraculum collaudant, & ſcriptis etiam theſi-

Horn. de Pr. matu Reginæ contra Fol pag. 101. 102.

Caluino-turciſmus lib. 1. cap. 2.

In conuiuialib. fol. 313. a.

Matheſius concione 11. de Luthero fol. 122.

Tossanus in thesibus de Papatu thesi. 1.

bus defendunt ij, qui alioqui non satis benignè erga Lutherum affecti, communi tamen odio nostri excæcati, præda funestorum luporum, quàm Christi obedientes ouiculæ esse malunt. Ast nos istorum hominum exulceratas mentes non longè à Caligulæ furore abesse animaduertimus, qui aliquando implacabili correptus ira, magnâ voce exclamauit: *vtinam populus Romanus vnam ceruicem haberet*, quam videlicet ego odii saturandi causa vno ictu integram amputarem. Sed peribit spes impiorum, neque dabit nos Dominus in opprobrium hostibus nostris: quin potius, Christus in medio inimicorum suorum, non seruiet, sed dominabitur, ad diem vsque illum quo abrogabit omne imperium & potestatem, regnumque dabit patri, & ipse erit omnia in omnibus. Nam nec ipsa Antichristi tyrannis ita subruet regnum Christi, quin in ipso deserto vexilla professionis suæ & successionis Apostolicæ indiuulsè habiturum sit.

Suetonius in Vita C. Caligulæ cap 30.

ARGVMENTVM IX.

ZACH. VRSINVS.

Defensio mirabilis.

IX. *Mirabilis defensio & conseruatio huius doctrinæ contra furores Satanæ & aliorum hostium. Cùm enim nulla religio grauiùs à tyrannis & hæreticis perpetuò sit oppugnata, & sine intermissione oppugnetur, quàm hæc ipsa, Deus nihilominus eam inuitis hostibus & inferorum*

rum portis mirabiliter adhuc defendit, vt sola inuicta permanserit, cùm interim aliæ religiones vel omninò non, vel leuiùs oppugnatæ, citò perierint. Hinc doctrinam Ecclesiæ Deo probari & curæ esse, firmissimè concludimus.

IVST. CALVINVS.

Rectè hæc nota præcedenti subiungitur, Non minus enim Deus in Ecclesia sua tuenda strenuus, quám hostes in ea oppugnanda diligentes & seduli sunt: qua de re præclarè iam olim S. Patres scripserunt. *Iustinus apologia 2. ad Anton. piũ: Chrysostomus homilia 34. in Matthæũ: & homilia 4. & 5. in 1. ad Corinth. Damascenus li. 4. orthodoxæ fidei cap. 4. Augustinus lib. 22. de ciuitate Dei cap. 5.* Verùm illa doctrina tamdiu hactenus contra immania monstra, & tam sæpè repetita hostium molimina defensa, Catholica doctrina fuit, non Lutherana aut Zuingliana. Hæc enim nondum nata, neque educata, illa autem quasi sub pellibus enutrita, & persecutiones hostium perpessa, tandem inimicis suis gloriosissimè triumphauit Numerate cruentos imperatores, numerate fœdifragos Iudæos & hæreticos, nihil ad extremum conatum satanæ defuisse reperietis. Victrix tamen semper fuit per Dei gratiam Romana Ecclesia, *& frustra hæreticis circumlatrantibus, culmen authoritatis obtinuit.* Refert *Theodoretus* ad sua tẽpora septuaginta sex diuersas hæreses, quæ omnes radicitus extirpatæ sunt.

August. de Vtilit. credendi cap. 17.

refert

refert *Augustinus* octoginta octo, ex quibus etiam plurimas suo æuo periisse super Psalmum 57. testatur. Nos ad Lutheri tempora *ducentas hæreticorum diuersas familias* numerare possumus: quæ omnes paucis in oriente Nestorianis & Eutychianis, in Boëmia Hussitis exceptis, vt fumus & stipula perierunt, vix nominibus eorum saluis.

Lutheranismus & Caluinismus nutát. *Lutheri & Caluini* schola, quãuis aliquandiu iam durauit, non tamen sine maximis fluctuationibus stetit, & ruinam propediem minari videtur. Quod vel ipsi quodam mentis præsagio authores ante viderunt: vt ex *præfatione Caluini in Catechesin Geneuensem, & præfatione Centuriatorum Magdeburgensium in centuriam 2. & 5. apparet.*

Diximus supra Lutherum quondam pro sua temeritate prædixisse anno 25. *Si ipsi adhuc biennium vnum prædicare liceret, fore vt Papa, Cardinales, episcopi, moniales, monachi, turres, campanæ, missæ & vniuersus papatus euanesceret.* Sed fallus est propheta, prorogatoque termino prædicationis eius, non ad duos, sed ad viginti duos annos, non tamen quod voluit obtinuit. Ecclesia stat instar muri aheni: ipse auté cũ fœtibus suis nutat, fluctuat & *instar torrentis decurrit, mox cessaturus & exsiccandus*, quemadmodum Augustinus in psalmum 57. loquitur.

S. Hieronymus in dialogo contra Luciferia. Quid ergo? *breuẽ apertamq; animi mei sententiam proferam, in illa esse Ecclesia permanendum, quæ ab Apostolis fundata, ad hanc vsque diem durat.*

AR-

ARGVMENTVM X.

ZACH. VRSINVS.

X. *Pœnæ hostium. Nam dubium non est, eam religionem a Deo approbari, & defendi, ob cuius oppugnationem aduersarios punit. Testantur autem historiæ veteres & recentes, atrociter à Deo punitos esse, qui prophetarum & Apostolorum doctrinam oppugnarunt. Ergo eam Deus approbat. Etsi autem impii aliquando in mundo florent, & ecclesia oppressa iacere videtur: tamē id neque casu fieri, neque quod illi Deo placeant, vel Ecclesia non placeat, euentus testantur, & scriptura passim docet. Perpetuò enim Ecclesia in persecutionibus seruatur, & tandem liberatur: cùm contrà tyrannorum & impiorum breuem fecilitatem tristissimus interitus excipiat. Nec refert, quod non omnes persecutores Ecclesiæ tragicè hic puniuntur, sicut Antiochus, & Herodes, &c. Dum enim Deus plerosq; in hac vita vlciscitur, satis ostendit, quid de aliis similibus æstimari velit: eos nimirū esse hostes suos, in æternas pœnas abiiciendos, nisi resipiscant.* ***Pœnæ hostium.***

IVST. CALVINVS.

Tragicos hæreticorum exitus, qui priscis olim seculis ecclesiam vexarunt, diligenter S. Patres annotauerunt. Hac ætate quid acciderit, quamque luculenter ecclesiæ turbatores Deus vindicarit, etsi testatum satis est, tanta tamen hominum impudentia est, vt id negare ausint. Ne igitur de *Luthero,*

Zuinglio, Caluino, Oecolampadio, & aliis dicam, quorum alios repentina Dei manus, alios vis Martis, alios ira Diaboli perculit: intueamur casus duorum prædicatorum clandestinorum, quos è Catholicorum manibus elapsos iusta Dei vindicta ipsi ad pœnas retractos scribunt. *Petrus Brulius concionator Gallicus, cùm ob sparsam Tornaci hæresin clausis portis inquireretur, nec occultari amplius posset, nocturno tempore per vrbis mœnia fune dimittitur ab amicis. Vbi terram tetigit, & humi consedit, quidam ex iis qui demiserant, procumbens ex muro salutem ei summissa voce precatur, & dum sic innititur, saxum, quod forte resoluta calce non bene cohærebat, impellit, impulsum illi aduoluitur, & sedenti crus perfringit. Itaque partim dolore casus, partim frigore afflictatus, miseriam & infortunium suum querulis vocibus & lamentando deplorat. Id exaudiunt vigiles, & suspicati quod erat accurrunt & comprehensum in carcerem condunt.*

Sleidanus libro 16. historia.

Idem accidit cuidam Eremitano Lucensi Augustinianæ familiæ à confessionibus. *Qui cum violatæ religionis accusatus, & iussu Romani Pontificis carcerem coniectus esset, nobiles Lucenses ipsum effractis carceribus ex vrbe eduxerunt, fugaque sibi consulere iusserunt. Sed vide Dei nutum. Fugiens labitur ac crus frangit, denuoque captus Romam abducitur.* Hæc si leuia videntur, intueamur omnes populos & nationes, quæ relicta vnitare Apostolica, hisce turbatoribus aures præbuerunt, an

Simlerus in oratione de Vita Petri Martyris fol. 9.

non eorum fortuna ab eo tempore planè in contrarium mutata pluribus eos malis publicè priuatimque afflixerit? Respublicas quondam florentissimas languere nunc & marcescere videmus, populos fortissimos effœminatos, principum fiscos exhaustos, & qui sacros reditus ad se rapuerunt, sic nominibus premi, vt vix sibi suisque aulicis sufficiant: splendidissimas atque opulentissimas familias ad inopiam redactas, & qui alios ad hæresin instituerunt, vel exscindi planè, vel ad stipem in sobole redigi. Vt de iis nihil nunc dicam, qui nefando scelere constupratis sororibus, pulsatis matribus, suppilatis gazophylaciis, vniuerso mundo testatum fecerunt, suos fuisse parentes, quorum *peccata Deus zelotes in tertiam, & quartam progeniem vindicaturus sit.*

ARGVMENTVM XI.

Zach. Vrsinvs.

XI. *Testimonia & constantia martyrum, qui suo sanguine doctrinam Ecclesiæ obsignantes, inter sæuissima tormenta testantur, se verè sic sentire, & in cordibus suis de veritate doctrinæ, quam sunt professi, firmissimè persuasos esse, atque eam consolationem, quam aliis prædicarunt, ex ea verè percipere, quod propter Christum verè sint Filii Dei, & quod sint Deo curæ in media morte. Deus igitur hac viua consolatione eos sustentans testatur, sese doctrinã Ecclesiæ, propter quam illi patiuntur, approbare.* ***Martyrum constantia incredibilis.***

Ivst

IVST. CALVINVS.

Pseudo-martyres hæreticorũ. Iam si martyrum iudicio disceptabitur, nę iniquum aduersarii certamen inibunt, atque equum, quod dicitur, in planitiem vocabunt. Habent quidem sua martyrologia, atque ibi nonnullos commemorant, in quos ex sententia legis diuinæ propter hæresin animaduersum est. Sed meminerint semper illud Augustini, de quo in sequentibus, *nō pœnam facere martyres, sed causam: nec ex passione certam iustitiam, sed ex iustitia passionem gloriosam*: item illud Cypriani. *Talis etiam si occisi in confessione nominis fuerint, macula ista nec sanguine abluitur. Inexpiabilis & grauis culpa discordiæ, nec passione purgatur. Esse martyr non potest, qui in Ecclesia non est, ad regnum peruenire non poterit, qui eam, quæ regnatura est, dereliquit.* Et paulò post. *Cum Deo manere non possunt, qui esse in ecclesia Dei vnanimes noluerunt: ardeant licet flammis, & ignibus traditi, vel obiecti bestiis, animas suas ponant; non erit illa fidei corona, sed pœna perfidiæ: nec religiosæ virtutis exitus gloriosus, sed desperationis interitus. Occidi talis potest, coronari non potest.*

Deut. 13. & 17 & 8.
Epist. 167. ad Festum.
Idem lib. 1. contra Epist. Parm. cap. 8.
De Vnitate Ecclesiæ.

Martyrum Catholicorum multitudo. Deinde quid paruus iste sutorum aliquot vel sartorum manipulus, qui Circumcellionum more ipsi sese proteruè quasi in fauces mortis abdiderunt, ad tam numerosum nobilissimorum nostrorum martyrum exercitum, qui hoc vnico seculo in Gallia, Anglia

glia, Germania, pro Christo decernentes, animosè vitam pro veritate profuderunt, ac Domino tanquã holocautomata oblati sunt. *Edmundus Campianus*, & ipse martyr, suam & Ecclesiæ sortem in Anglia descripturus, *Omnes*, inquit, *custodiæ nostræ refertæ sunt Catholicis, nouæ parantur, nunc demum apertè pronunciant, satius esse paucos internecioni dedere proditores, quàm tot animas perdere. De suis martyribus iam tacent. Superamus enim caussa, numero, dignitate omnium. Afferimus pro aliquot apostatis aut sutoribus exustis, Episcopos, Regulos, equites, antiquissimam nobilitatem, spectacula doctrinæ, probitatis, prudentiæ, lectissimam iuuentutem, matronas illustres, reliquos fortunæ mediocris, planè extra numerum, omnes aut semel, aut quotidiè consumptos. Dum hæc scribo, immanissima sæuit persecutio. Mœsta domus. Nam aut mortem suorum prædicãt, aut latebras, aut vincula, aut rapinam bonorũ, tamen pergunt animosè.*

Edm. Campianus de Martyribus Anglicis.

Iniquum Anglorum de Catholicis iudiciũ.

Et sanè qui capita martyrum nostrorum numerant, commemorant in hoc ordine Cardinalem vnum, Archiepiscopos tres, Episcopos octodecim, Abbatẽ vnum, Priores religiosorum cõuentuum quatuor, conuentus integros quatuor, Decanos Ecclesiarum Cathedralium tredecim, Archidiaconos quatuordecim, Canonicos Ecclesiarum Cathedralium supra sexaginta, sacerdotes minimum sexcentos: doctores Theologiæ quinquaginta, doctores Iuris octodecim,

Numerus omnis generis martyrum in Anglia.

cim, doctores medicinæ nouem, Rectores collegiorum quindecim, reginam vnam, comites octo, barones decem, equestris ordinis viginti sex, nobiles minimû quadringentos: laicos inferioris ordinis extra numerum: fœminas centum viginti: præter infinitam multitudinem aliorum, qui de nomine autori noti non sunt. In *Galliis* minor messis non est. Nam annis abhinc viginti, præter ciuitates exustas, præter euersas domos & pagos, præter familias extinctas & mulieres virginesque constupratas, perierant iam homines in vniuersum 765000. & eò amplius: ex quibus Ecclesiastici fuerunt 8760. Quem numerum ab eo tempore quanta putas accessione in hisce continuis, ac vix dum Sanctissimi Domini Nostri, auspicatissimi Pontificis, CLEMENTIS. VIII. nutu sopitis turbis locupletatum?

Martyres in Galliis.

Eant nunc Caluinistæ, & de martyribus suis glorientur: martyribus inquam non sapientis sed stultæ philosophiæ: quales maiori etiam numero olim *Montanistæ* venditarunt, nec non *Messaliani & Donatistæ, qui vt martyrum nomen lucrarentur, semetipsos de montibus præcipitabant, vel aquis præfocabant, vel in ignem coniiciebant, vel mortem denique minabantur, & inferebant iis, qui eos occidere nollent.* Vnde non immeritò *Augustinus, viuebant* inquit, *vt latrones, honorabantur*

Eusebius lib. 5 histor. cap. 18. Tertull. in lib. de fuga. Epiphanius hæresi 80. Augustin. epist 50. Theodoret. lib. 4. de hæret. fabul. Epist. 68.

bantur vt martyres. Sed de toto hoc argumento in ſequentibus vberius.

ARGVMENTVM XII.

Zach. Vrsinvs.

Pietas & ſanctitas eorum qui libros ſacros ſcripſerunt, & doctrinam in illis comprehenſam profeſſi ſunt. Quæ enim religio homines facit ſanctos, Deoque placentes, eam neceſſe eſt ſanctiſſimam & diuinam eſſe. At Patriarchæ, Prophetæ, Apoſtoli & alii, qui doctrinam eorum serio amplexi ſunt, & amplectuntur, vera virtute & ſanctitate longiſſime ſuperant aliarum religionum homines, id quod collatio oſtendit. Quare Eccleſiæ potius, quam aliarum religionum doctrinam veram eſſe ac diuinam, eſt conſentaneum. *Sanctitas vita.*

Ivstvs Calvinvs.

Hanc iterum notâ Catholici totam ſuam eſſe euincunt. Vt enim prioribus olim ſeculis in Apoſtolis & Euangeliſtis, ſic poſterioribus, in epiſcopis, ſacerdotibus, monachis, &c. Chriſtianæ doctrinæ efficacia ſe prodidit, atq; euidentia ſanctitatis ſuæ veſtigia reliquit: qua de re *Tertullianus ad Scapulam*: *Iuſtinus apologia 2. ad Anton. pium*: *Lactantius libro 3. Inſtitutio. capite 26.* Præterquam verò quòd Nouatores hodie Monaſticorum ordinum inſtitutores, *Dominicum, Bernhar-* *Catholicorum in vita ſanctimonia.* *Lutherus de captiuit. Babyl. ca. 2.* *Philippus in Apolog. artic. 5. 27.*

dum, Franciscum, &c. *viros sanctos fuisse fatentur:* etiam plerique religionum professores, ita se temperantiâ, continentiâ & austeritate gerunt, vt *restringenda nonnullis & quasi ad humanos ea fines reuocanda videatur.* Præter alios multos tanquam solis quoddam iubar Societatis IESV Patres per omnes nunc orbis prouincias radiant, *simul ætatem sub vno Rectore degentes, atque in orationibus, in lectionibus, in disputationibus & studiis exquisitissimis, nulla superbiâ tumidi, nullâ peruicaciâ turbulenti, nullâ inuidentiâ liuidi:* sed modesti, verecundi, casti & pacati, vt meritò illis tribuamus hoc Augustini libro 2. in Iulianum: *isti sunt Episcopi & pastores* (id est, Episcoporum & pastorum coadiutores) *docti, graues, sancti, veritatis acerrimi defensores, qui Catholicam fidem in lacte suxerunt, in cibo sumpserunt, cuius lac & cibum paruis magnisq; ministrauerunt. Talibus post Apostolos sancta Ecclesia plantatoribus, rigatoribus, ædificatoribus, pastoribus, nutritoribus creuit* crescitque, ac deinceps iuuante Domino accretura est.

Societas IESV. *Ex D. Augustini verbis lib. de moribus Ecclesiæ cap. 31.*

At quibus parentibus noua illa ecclesia sata & propagata? possem hic *scapham scapham vocare, & ligonem ligonem.* Sed quia sic acerbitatis nomine irritare magis, quám conciliare aduersarios possem: loquatur pro me Pauli vaticinium, de hoc procul dubio seculo maximè prolatum: *erunt homines sui amantes, auari, gloriosi, superbi, maledici, parentibus non obsequentes, ingrati, profan-*

Antithesis vita aduersariorum.

2. Timot. 3.

ni, charitatis expertes, implacabiles, calumniatores, intemperantes, immites, minimè amantes bonorum, proditores, præcipites, inflati, voluptatum amantes potius quam Dei, habentes formam pietatis, sed vim eius abnegantes.

TIGVRINI in responsione ad librum Lutheri contra *Zuinglium* *Lutherus*, inquiunt, *quæ sua sunt, quærit, pertinax est, insolentia nimia effertur, & in omnibus correptionibus suis plurimum maligni, quàm minimũ verò amici & paterni animi deprehenditur.* *Caluinistarum & Zuingl. iudicium de Luthero.*

GESNERVS in Biblio. vocat *Lutherum hominem vehementis ingenii, contentiosum, impudentis oris, impatientem, qui nisi per omnia sibi consentientes ferre nesciat.*

Cunradus Risius scribit *propter peccatum superbiæ, quâ se extulerit, verum Luthero spiritum subtractum, vt Prophetis illis 3. Regum 21. atque eius loco inuidum, superbum & mendacem ei spiritum datum.* *Contra Ioan Hessum.*

Caluinus contra VVestphalum, quibus Lutherũ ellogiis cum asseclis suis ornet, humanus Lector ibi videat.

Contra Zuinglium Lutherus ita describit, vt *magnæ eum superbiæ, peruicaciæ arrogantiæq́; incuset, qui etiam peior factus sit, quàm cùm papista esset.* *Lutheri iudicium de Zuinglio. Tom. 3. Ienensi folio 468. 469. Item in cõfess. de cœn. Item in lib. quod verba adhuc firma stent.*

Caluino & Bezæ, quæ vulgò crimina obiiciantur, publicè notũ est, ideo nolo nunc Camerinã hanc mouere, vt parcam simplicibus qui nesciunt, peruicacibus qui negant, pro-

bis & cordatis qui improbant & execrantur.

Menno de vita ministrorum Euangelicorũ cap. de fide mulieris Canan.

Vulgarium porrò miniſtrorum, ſi non omnium, ſaltem plerorumque, quis viuendi mos ſit, appoſitè, *Menno in libro de Christiana fide* expoſuiſſe videtur. *Si* inquit, *ad prædicatores veneris, qui de verbo gloriantur, inuenies quoſdam apertè mendaces, quoſdam ebrioſos & vinolentos, quoſdam fœneratores, quoſdam ſuperbos & faſtuoſos, tum habitu tum geſtu, quoſdam calumniatores & conuitiatores, quoſdam perſecutores & proditores innocentum. Quo iure etiam ac fide nonnulli matrimonia contraxerint, cuius notæ vxores habeant, Domino atque ipſis concedo. Agunt inertem, quietam, & ignauam vitam, aluntur meris ſeductionibus & blanditiis, ex Antichriſti * prædis & rapinis. Tantum docent, quantum ventri dedito magiſtratui placet, quantumq; ille iuſſerit.*

** Rectius diceres S. Cathol. Ecclesiæ, cuius bona dilapidant.*

Neque tamen hoc ita á me accipi velim, quaſi omnes Euangelio nouo miniſtrantes, vel credentes, *vno ordine* habeam. Scio enim & inter ipſos quoſdam ita grauiter, atque inculpatè viuere, vt laudem potiùs, quàm vituperium mereantur. Sed plurimorum, & eorum quidem, qui ſuis in erroribus feruentiores videri volunt, ſi intueamur mores, profectò ſubſcribere cogor *Eraſmo, qui epiſtola ad Vulturium Neocomum:* *circumſpice* inquit, *populum iſtum Euangelicum,*

Eraſmus de vita Euangelicorum.

licum, & obserua, num minus illic indulgeatur luxui, libidini, & pecuniæ quàm faciunt ii, quos detestamini: profer mihi, quem istud Euangelium ex comessatore sobriũ, ex feroci mansuetum, ex rapaci liberalem, ex maledico benedicum, ex impudico reddiderit verecundum. Ego tibi multos ostendam, qui facti sunt seipsis deteriores.

Iam si quædam etiam Ecclesiæ zizania obiiciunt aduersarii, habent confitentes reos. *Nouimus enim & nos multos, qui profitentur quod non sunt. Sed propter illos non periit pia fraternitas.* In domo magna non omnia vasa sunt ad honorem; multa sunt ad dedecus. *Occupatio de vlceribus quibusdam Cathol. Ecclesiæ*

In agris etiam cultissimis lolium enascitur, & multæ pestilentes herbulæ, ad messem vsque tolerandæ. *In agro igitur Dominico fruges quærite, frumenta in area: apparebunt facilè, seseque offerent ipsa quærentibus. Quid nimis in purgamenta oculos intenditis?* *Augustin. libro 1. de morib. Eccles. Cathol. cap. 35.*

Quod si fortè in ipsum ordinem Episcoporum, qui ducitur ab ipso Petro, ad præsentem vsque CLEMENTEM OCTAVVM, sanctissimæ vitæ Pontificem, vel ipsa inimicorum admiratione teste, *quispiam traditor per illa tempora subrepsisset, nihil tamen præiudicaret Ecclesiæ, & innocentibus Christianis, quibus Dominus prouidens, ait, de præpositis malis: quæ dicunt facite, quæ autem faciunt* *August. epistola 165. & libro 2. contra literas Petiliani, cap. 51*

 face-

facere nolite: dicunt enim & non faciunt, vt certa sit spes fidelibus, quæ non in homine, sed in Domino collocata, nunquam tempestate sacrilegi schismatis dissipetur.

Vide infra in confuta. & epist. 3.

Sed de hoc argumento in sequentibus iterum atque iterum.

ARGVMENTVM. XIII.

ZACH. VRSINVS.

Rotunda propriorum defectuum confessio.

XIII. *Candor eorum in detegendis suis & suorum vitiis, per quos spiritus sanctus doctrinam hanc literis commendauit.*

IVSTVS CALVINVS.

August. 2. Retract. cap. 16. Cyrillus libro 10. in Iulianum. Damasc. de 100. hæresib. Cochlæus descript. & Ecclesiæ author. cap. 3. 4.

Qui Euangeliorum authoritates eleuare olim studebant (quales in primis fuerunt *Ethnici, Iulianus Apostata, Mahumetes, & nostris temporibus Otto Brunsfelsius*) hac potissimum calumnia vtebantur, quod etsi Euangelia ab Apostolis scripta, à veritate tamen multis in locis aliena essent; *quia Apostoli partim vt homines interdum errarint, partim studiosè magistri sui gloriam confictis narrationibus ornare studuerint.* Huic calumniæ præsens nota opponenda est. Nam vt de altero taceam, si in magistri gratiam Apostoli veritatem adulterasse credendi sunt, quomodo probabile est, eos in crucis ignominia, in discipulorum infirmitatibus næuis, & lapsibus tam copiosos futuros? nonne verita-

ritatem potius religiosè & candidè, quàm vanam mundi gloriam ſpectaſſe videbuntur?

Enimuerò, ſi de hac quoque gloriâ cum aduerſariis certandum ſit, nullo modo inferiorem Eccleſiam deprehendemus. Nam vt alias quidem ſectas cœtuum ſuorum defectus & flagitia neceſſitas, omniumque hominum notitia fateri cogit: ita Catholica religio Chriſtiano candore publicè priuatimque infirmitates ſuas ingenuè profitetur, Confeſſionem ſacerdotalem quotidie frequentiſſimam omitto, vbi intimi etiam ſinus conſcientiæ libera voluntate panduntur. *S. Franciſcus*, rogatus quid de ſe ſentiret, *videor*, inquit, *mihi maximus peccatorũ*. Frater *Ægidius*, vnus ex quatuor primis comitibus ſancti Franciſci, illiteratus quidem, ſed ſapiens, *rogatus quid faceret, reſpondit, malè, quia gratiam Dei non ſemper recipio, nec in ea, pro vt par eſt, ambulo.*

S. Franciſc. *S. Bonauentura in vita S. Franciſci cap. 5.*

Claudius Eſpencæus in epiſt. ad Titum cap. 1. Sine pudore in Eccleſiaſticis etiam quibuſdam turpis lucri aucupia fatetur, & reprehendit. *Clerus* haud grauatè annuit, non omnes ſui ordinis æquè diligenter munus ſuum implere, & in officio alios ſegnes, alios turpiter negligentes, alios ſcandaloſè profanos eſſe. *Sadoletus Cardinalis exhortatione ad principes populoſq; Germaniæ*, huiuſmodi næuos complures in Eccleſia etiam Romana ſpontè aperit & deplorat. Tandem fatentur

omnes Catholicæ Ecclesiæ ciues, se non humiliter tantùm, sed etiam veraciter illud quotidie precari, *dimitte nobis debita nostra.* Vt valdè illiberaliter agant, qui pharisaicum Ecclesiæ fastum, hypocrisin, occulendorumq; peccatorum studium obiiciunt.

ARGVMENTVM XIV.

Internum spiritus dictamen.

XIV. Spiritus sancti, cuius inspiratione scriptura est tradita, in cordibus credentiũ testificatio, hoc est, πληροφορία seu fides, quæ est certa persuasio, scripturam sacram esse: quam fidem sequitur lætitia in Deo acquiescens, & eum inuocans, cum certa spe impetrandi cùm alia bona, quæ ex verbi ipsius præscripto petimus, tum ipsam vitam æternam. Hæc enim πληροφορία & hæc viua consolatio piorum, neque hominum, neque vllius creaturæ testimonio nititur, sed est effectus spiritus Sancti proprius, quem per solam Prophetarum & Apostolorum doctrinam lectam, auditam, & mentibus impressam ab eo accendi & confirmari, omnes pii viuo ac certo suorum cordium sensu experiuntur. Hac igitur testificatione spiritus sancti omnes ad Christum conuersi, de certitudine doctrinæ cœlestis firmissimè confirmantur & obsignantur. Atq; hoc argumentum, vt est renatorum proprium, ita solum corda eorum non solùm de veritate & authoritate scripturæ sacræ conuincit, sed etiam persuadet, vt assentiantur, & in ea firmiter acquiescant: reliqua

omnia

omnia communia sunt etiam non conuersis, quos quidem etiam conuincunt, atque ora contradicentibus obturant: sed sola non persuadent, nec mouent ad assentiendum, nisi & intus testimonium Spiritus sancti accedat.

IVST. CALVINVS.

Quæ in hac postremà notâ, de internâ Spiritus sancti testificatione dicuntur, ea talia sunt, vt ad publicam & solennem veritatis testificationem non nisi dubiè & infirmè referri posse videantur. Etsi enim Spiritus sancti testimonium, per se firmũ certumq; est, tamen quia passim omnes Spiritum iactant, & in tam diuersis sectis nemo est, qui non interno spiritus & conscientiæ testimonio niti velle videatur, fit vt circumspectioribus ista tam diuersa & contraria testimonia non immeritò habeantur suspecta. Quæ enim homines suis ipsi animis persuaserunt, vel errore, vel amore, vel odio alioue affectu inducti, ea pertinacissimè colunt, & pertinaciam hanc spiritus dictamen interpretantur. *Præsens nota cum qua distinctione admittenda.*

Sic *Anabaptista* spiritum sibi fingit, eiusque ductui se regendum tradit, quin & testimonio eius de fide sua certus est. Alioqui si incertus hæsitaret & fluctuaret, quæ eum vis tam patientem contra gladium atque incensos rogos faceret? *Anabaptistarum aliorumq; vana de religione sua persuasio.*

Sic *Lutheranus*, sic *Arianus*, sic omnes

deniq;

denique sectarii obfirmatâ animi duritie suis erroribus adhærescunt, eamque ipsissimum spiritus impulsum opinantur. Putasne dubium fuisse Lutherum, cùm nomen sibi *fidelis Prophetæ, Apostoli, Euangelistæ,&c.* arrogaret, scriberetque, *se Euangelium suum non ab hominibus, sed desuper tantum per Christum IESVM accepisse.* Item, *se tam certum esse de sua doctrina, vt si quis aliter doceat, aut quæ ipse scripserit, damnet, is damnet Deum & oporteat eum manere filium Gehennæ.*

Lutheri plerophoria. Tom. 2. Ienens. fol. 522. b. & fo. 39. a. Tom. 3. f. 334. a. Tom. 4. fo. 168 a. & 280. a. Tom. 5. f. 398. a. b.

Verùm quis non parem in *Campano* plerophoriam statuat: cùm dicit, *quàm certò DEVS DEVS est, tam certò Lutherus diabolicus seductor est.* Et Menno, *verissimè noui,* inquit, *quod extra spiritum, missionem & verbum Christi sint: quodq; doctrina & factis gratiam tantùm hominum, honores, fastum, reditus, splendidas domos, & voluptuariam vitam aucupentur.*

Luth. in conuiu. pa. 354.
In Funda. titul. de doctrina prædicant.

Cùm ergo tam dissonantium sectarum architecti, quos necesse est præter vnam Ecclesiam omnes à vero aberrare, omnes tamen fidei suæ certitudinem iactent, & nemo non πληροφορίαν cordis possideat, quis adeò demens est, quin videat, maximam hominũ partem lubrica & vana persuasione suffultã esse? Qua de causa non immeritò aduersarius, vt hanc notam minus propriam, cæterisque dissimilem significaret, subiunxit: *hoc argumentum, vt est renatorum proprium, ita*

ſolùm corda eorum de veritate ſcripturæ non tantùm conuincit, ſed etiam perſuadet.

Interim ſi ad cauſæ diſceptationem veniendum ſit, facilè eſt demonſtrare, non vſquequaque firmam ſemper & conſtantem aduerſariis hanc πληροφορίαν infuiſſe. *Lutherus* initio prædicationis ſuæ quàm varius & mutabilis fuit? Nunc ſeriò aduerſus Pontificem diſputauit, nunc *nihil à ſe definiri, ſed veri tantum inquirendi cauſa theſes proponi* commentus eſt. Nunc periculo vrgente, ſe & omnia iudicio Pontificis Eccleſiæq; ſubiecit (apud Sleidanum lib. 1. Hiſtoriæ fol. 1. 2. Papam pro vicario Chriſti agnouit, coram teſtibus & ſcriba, conſiliariis quoque cæſaris quatuor. Eccleſiam ſanctam Romanã à ſe reuerenter coli profeſſus eſt, *& ſi quid alienũ ab ea dixerit, nolle ſe ratum habere.* fol. 4. Pontifici reconciliari petiit. fol. 5. *nimis acrem ſe fuiſſe, & parum obſeruantem dignitatis Pontificiæ faſſus*, à Caietano ad Papã prouocauit. folio 5. b. huic adulatoriè ſcripſit, *& tum ſe ad Palinodiam obtulit*, tum Eccleſiam Romanam magnificis elogiis celebrauit. fol. 7. Verum iſta quandiu? quandiu nudum ſe à præſidio ſenſit, patronosque perfidiæ ſuæ non inuenit. Quamprimùm autem in tutum receptus, gladii ſecularis exolfecit fauorem, mutato propoſito fulmina mera & tonitrua conuitiorum in Eccleſiam Romanam iaculatus eſt: nunc vocitans eam *ſentinam impuriſſimam, & locum impietati conſecratum,*

Lutheri inconſtantia maxima.

Sleidanus lib. 1. f. 2. b.

nunc

nunc ipsissimam Antichristi sedem, à qua qui diuortium fecerint, Græci & Bohemi, felices meritò existimandi sint.

Hæccine πληροφορία Euangelica est, asserere, negare: laudare, culpare: venerari, calumniari: parere, obedientiam detractare: calidum denique & frigidum eodem gutture spirare? Neque hic trepidantis conscientiæ stimulus vnquam in Luthero ad mortem vsque conquieuit: quemadmodum multa eius testimonia docent.

Morsus conscientiæ in Luthero.

Tom. 2. Ien. fol. 9.

Præfatione libri de abusu missæ, Quàm sæpè, inquit, *cor mihi palpitauit, meq́ coarguit atq́ obiecit, tu ne solus sapiens, cæteri omnes errent, ac tanto tempore errarint? quid si tu erres, ac tot in errorem seduceres, perpetuo supplicio condemnandos?* Et alibi. *Pergraues mihi fuerunt istæ cogitationes, tu solus purum atque emaculatum Dei verbum habes? cæteri omnes eo destituuntur? quod Christiana Ecclesia decreuit, totque annos credidit, tu impugnas, ac tanquam falsum euertis: quin & tua doctrina politicum atque Ecclesiasticum regimen conturbas.* Ibidem fol. 158. *istas cogitationes nunquam ex animo dimitto, quin optem hanc me causam nunquam incepisse.* & folio 273. *nunquam maiores grauioresque tentationes habui, quàm ex meis concionibus. Cogitabam enim, ista tu solus incepisti. Ista tentatione sæpe ad infernum vsque demersus sum.* Quo & factum, vt alibi *libros suos æterna obliuione sepultos optarit,* Addens *sperare se, vbi horum temporum curio-*

Sermo. conuiu. fol. 10.

Præfat. Tom. 1.

curiositas saturata fuerit, breui monimenta sua interitura.

Similes ac maiores etiam cõſcientiæ morſus *Philippus* ſenſit, cùm aliàs, tum inprimis *anno 30. in comitiis Auguſtanis*, vbi propter nimiam timiditatẽ & in Catholicis impugnandis lenitatẽ Lutheri literis fulciendus, & quaſi flabello iterum ad inſaniam inflammandus fuit. *Articulos Schmalkaldicos* cum qua exceptione ſubſcripſerit, notum eſt. Nobili cuidam, Ioanni Bartholomæo à Velbergk ſuaſiſſe dicitur, *vt in veteri Catholica precandi ac communicandi ratione perſiſteret: ſibi vehemẽter dolere addens, quod relicta Philoſophia in Theologicis ſcribere cœperit. Nullius ſe digiti iacturam refugere, ſi iſtum reuocare laborem poſſet. Sed nunc ſe nimis profundè cauſæ immerſum nullum regreſſum inuenire.*

Philippi trepidatio.
Chytreus in historia Auguſt. confeſſ. Tom 6. Ien. fol. 522. a.
VVolffgangus Agricola concione de matrimonio.

Zuinglius quàm timidè ac dubitanter ſuam de cœna ſententiam in lucem protruſerit, cuiuſque ſpiritus teſtimonio firmarit, teſtis eſt ipſe, & Kemnitius in libello de cœna Domini fol. 216. De Oecolampadio notius eſt, quã vt verbis egeat. *Selneccerus* in morbo hac eum precatione vſum ſcribit, *Ieſu Chriſte patefac mihi veritatẽ tuam, an etiam hactenus de ſacra tua cœna rectè docuerim & ſcripſerim.*

Zuinglii et Oecolampadii incertitudo.
Parte 1. comment. in pſ. fol. 215.

Eant nunc ſectarii, fideique ſuæ πληροφορίαν iactent: cum tot tamq; luculentis teſtimoniis ipſi ὀλιγοπιστίαν ſuam atq; incertitudinẽ turpiſſimam abũdantiſſimè prodant.

Et

Et quidem certũ esse potest apud eos, qui tutissimo Ecclesiæ portu relicto, vela ventis sine gubernaculo dederunt, sæpissimèq; naufragi ad mentem sanam redire noluerunt? O vtinam saperent tandem, securissimoque Ecclesiæ portui fiderent, quàm tuti, quàm tranquilli, quàm certi intus & extrà forent: Intus testante spiritu, extrà loquente Ecclesia, de qua D. Paulus *Columna est & firmamentum veritatis*: de qua D. Cyprianus, *Adulterari non potest sponsa Christi, incorrupta est & pudica: vnam domum nouit, vnius cubiculi sanctitatem casto pudore custodit:* de qua denique Augustinus contra Donatistas: *Cùm in scripturis non inueniamus aliquos ad Ecclesiam transisse ab hæreticis, & sicut ego dico, aut sicut tu dicis, esse susceptos: puto si aliquis sapiens extitisset, cui Dominus Iesus Christus testimonium perhibet, & de hac quæstione consuleretur à nobis, nullo modo dubitare deberemus id facere, quod ille dixisset, ne non tam ipsi quam Domino Iesu Christo, cuius testimonio commendabatur, repugnare iudicaremur. PERHIBET AVTEM TESTIMONIVM CHRISTVS ECCLESIAE SVAE. Ecce Euangelium lege vbi ait, &c. Quod si non vis, non mihi aut cuiquam hominum, qui vult ita suscipere, sed ipsi Saluatori contra salutem tuam perniciosissimè reluctaris, qui te sic suscipiendum esse non vis credere, quemadmodum suscipit illa Ecclesia, quam testimonio suo commendat ille, cui fateris nefarium esse non credere.*

1. Tim 3.
de Vnit. Eccles.
D Vnit. ele. cap. 22.

Deficiente scriptura, Ecclesia consulenda.

Qui Ecclesiæ reluctatur, Christo ipsi reluctatur.

Non

Non ergo est, quòd nouatores ita leuiter Catholicos veritatis tantùm aliqua opinione imbutos iudicent, qui arundinum instar fluctuantes, modò huic, modò illi sententiæ palmam deferant: cùm loquantur potius & sentiant cum Richardo de S. Victore: *Domine si error est, à te decepti sumus. Nam ista in nobis tantis signis, & prodigiis confirmata sunt, & talibus, quæ non nisi per te fieri possunt.* Lib. 1. de Trinit. c. 2.

Atque hæc de primo instituti nostri fundamento, quod in ipsis aduersariorum principiis positum esse diximus. Vbi pro nostra mediocritate liquidò demonstratum speramus, 14. illa κριτήρια Vrsini pro Religionis Christianæ veritate allata, totidem Catholicæ Ecclesiæ sincerissimæ puritatis infallibilia testimonia præbere: ipsorumque errorum documenta certissima, vt si deinceps Catholici esse noluerint, suis ipsi decretis immorigeri deprehendantur. Conclusio 1. rationis.

Altera nunc ratio explicanda sequitur, quæ ab authoritate & consensu sumitur eorum, qui ante nos temporibus minus suspectis vixerunt, Christianamque fidem tutati sunt: *qui nullas nobiscum vel vobiscum amicitias attenderunt, vel inimicitias exercuerunt neq; nobis vel vobis irati sunt, neq; nos vel vos miserati sunt: quod inuenerunt in Ecclesia, retinuerunt, quod didicerunt, docuerunt, quod á parentibus acceperunt, hoc filiis tradiderunt.* Ratio altera breuior, è pauculis SS. Patrum Testimoniis. August. lib. 2. in Iulian. Pelagia.

Primùm igitur S. Irenæus lib. 3. cap. 3. *Quoniam,* inquit, *valde longum est, in hoc tali* S. Irenæus de Romana Ecclesia.

volumine omnium Ecclesiarum enumerare successiones, maximæ & antiquissimæ & omnibus cognitæ à gloriosissimis duobus Apostolis Petro & Paulo Romæ fundatæ & constitutæ Ecclesiæ, eam quam habet ab Apostolis traditionem & annunciatam hominibus fidem per successiones Episcoporum peruenientem vsque ad nos indicantes, confundimus omnes eos, qui quoquo modo, vel per sui placentiam malam, vel vanam gloriam, vel per cæcitatem & malam sententiam, præter quam oportet, colligunt. Ad hanc enim Ecclesiam propter potentiorem principalitatem necesse est omnem conuenire Ecclesiam, hoc est, eos qui sunt vndique fideles, in qua semper ab his qui sunt vndique conseruata est ea, quæ est ab Apostolis traditio. Fundantes igitur & instruentes beati Apostoli Ecclesiam, Lino Episcopatũ administrandæ Ecclesiæ tradiderunt. Succedit autem ei Anacletus, post eum tertio loco ab Apostolis Episcopatum sortitur Clemens, qui vidit ipsos Apostolos, & contulit cum eis, cum adhuc insonantem prædicationem Apostolorum, & traditionem ante oculos haberet, &c. Huic autem Clementi succedit Euaristus, & Euaristo Alexander, ac deinceps sextus ab Apostolis constitutus est Sixtus, & ab hoc Telesphorus, qui etiam gloriosissimè Martyrium fecit, ac deinceps Higinus, post pius, post quem Anicetus. Cùm autem successisset Aniceto Soter, nunc duodecimo loco ab Apostolis Episcopatum habet Eleutherius. Hac ordinatione & successione, ea quæ est ab Apostolis in Ecclesia traditio & ve-

Successio Romanorũ Episcoporum confundit omnes hæreticos.

Roma caput Ecclesiarũ omnium.

Ordo Romanorum Pontificũ.

Vsus successionis

& veritatis præconiatio peruenit vsq; ad nos. Et est plenissima hæc ostensio, vnam & eandem viuificatricē fidem esse, quæ in Ecclesia ab Apostolis vsq; nunc sit cōseruata & tradita in veritate.

continua in Romana Ecclesia.

Tertullianus de præscript. cap. 36. *Si Italiæ adiaces, habes Romam, vnde nobis quoq; authoritas præstò est. Statu felix Ecclesia, cui totam doctrinam Apostoli sanguine suo profuderunt: vbi Petrus passioni dominicæ adæquatur, &c.*

Tertullianus.

S. Cyprianus lib. 1. epist. 3. *Post illa adhuc insuper Pseudoëpiscopo sibi ab hæreticis constituto, nauigare audent, & ad Petri cathedram, atq; ad Ecclesiam principalem, vnde vnitas sacerdotalis exorta est, à Schismaticis & profanis literas ferre: Nec cogitare, eos esse Romanos, quorum fides Apostolo prædicante laudata est: ad quos perfidia non possit habere accessum.*

S. Cyprianus.

Ad Romanam Ecclesiam perfidia non habet accessum.

Idem lib. 4. Epist. 8. de Cathedra Rom. Pontificis loquens: *scimus hortatos nos esse, vt Ecclesiæ Catholicæ matricem & radicem agnoscerent & tenerent.*

Idem lib. 3. Epist. 11. formulam Palinodiæ recensens eorum, qui à Schismate ad Ecclesiam redibant: *Nos Cornelium episcopum sanctissimæ Catholicæ Ecclesiæ electum à Deo omnipotente & Christo Domino nostro scimus. Nos errorem nostrum confitemur, nos impostura passi sumus &c. Nec enim ignoramus vnum Deum esse, & vnum Christum esse Dominum, quem confeßi sumus, vnum Spiritum sanctum, vnum episcopum in Ecclesia Catholica esse debere.*

Formula Palinodiæ Veterum ad Ecclesiam redeuntiū.

S. Athanasius.

S. Athanaſius & Ægyptii Epiſcopi in epiſtola ad Marcum Papam: *Domino ſancto & Apoſtolici culminis venerando Marco ſanctæ Romanæ Apoſtolicæ ſedis, atq; vniuerſalis Eccleſiæ Papæ, Athanaſius & vniuerſi Ægyptiorum ſalutem, &c.*

Ibidem. *Optamus vt à veſtra ſanctæ ſedis Eccleſiæ authoritate, quæ eſt mater omnium Eccleſiarum, ea ad correctionem & recreationem fidelium orthodoxorum percipere per præſentes legatos mereamur, &c.*

S. Hieronymus.

S. Hieronymus Epiſt. 57. ad Damaſum. *Quoniam vetuſto oriens inter ſe populorum furore colliſus, indiſciſſam Domini tunicã, & deſuper textam minutatim per fruſta decerpit, & Chriſti vineam exterminant vulpes, vt inter lacus contritos, qui aquam nõ habent, difficile vbi fons ſignatus & hortus ille concluſus ſit, poſſit intelligi: ideo mihi cathedram Petri, & fidẽ Apoſtolico ore laudatam cenſui conſulendam: inde nunc mea animæ poſtulans cibum, vnde olim Chriſti veſtimenta ſuſcepi. Neq; verò tanta vaſtitas elementi liquentis, & integra longitudo terrarum me à precioſæ margaritæ potuit inquiſitione prohibere. Vbicunq; fuerit corpus, ibi congregabuntur aquilæ. Profligato à ſobole mala patrimonio, apud vos ſolos patria ſeruatur hæreditas. Ibi ceſpite terra fœcundo dominici ſeminis puritatem centeno fructu refert &c. Quanquam igitur tui me terret magnitudo, inuitat tamen humanitas: a ſacerdote victimam ſalutis, à paſtore præſidium ouis flagito: faceſſat inuidia,*

Cathedra Petri in dubiis conſulenda.

uidia, Romani culminis recedat ambitio, cum successore piscatoris, & discipulo crucis loquor. Ego nullum primum nisi Christum sequens Beatitudini tuæ, id est cathedræ Petri communione consocior: Super illam Petram ædificatam Ecclesiam scio. Quicunque extra hanc domum agnum comederit, profanus est. Si quis in arca Nohe non fuerit, peribit regnante diluuio. Quicunque non tecum colligit, spargit: Hoc est, qui Christi non est, Antichristi est.

Extra Romanam Ecclesiam nulla salus.

S. August.

S. Augustinus in psalm. contra partem Donati: *Venite fratres, si vultis, vt inseramini in vite: dolor est, cùm vos videamus præcisos ita iacere. Numerate Sacerdotes vel ab ipsa Petri sede, in ordine illo patrum quis cui successerit, videte: ipsa est petra, quam non vincunt superbæ inferorum portæ.*

Sedes Petri *insuperabilis.*

Idem Epist. 162. *Qui posset non curare conspirantem multitudinem inimicorum, cùm se videret Romanæ Ecclesiæ, in qua semper Apostolicæ cathedræ viguit principatus, per communicatorias literas esse coniunctum?*

Romanæ Ecclesiæ principatus.

Et Epist. 165. *Euangelizatum tibi est per Propheticas & Apostolicas literas, quòd Abrahæ dictæ sunt promissiones & semini eius, quod est Christus, cùm ei diceret Deus, in semine tuo benedicentur omnes gentes. Has ergo promissiones tenenti, si tibi angelus de cœlo diceret, dimitte Christianitatē orbis terræ, & tene partes Donati, cuius ordo tibi exponitur in epistola episcopi tuæ ciuitatis, anathema esse deberet: quia te à toto præcidere, & in partem contrudere conaretur,*

Ecclesiæ *Vniuersalitas.*

Ordo Romanorum Episcoporũ.

retur, & alienare à promissis Dei. Si enim ordo Episcoporum sibi succedentium considerandus est, quando certius & verè salubriter ab ipso Petro numeramus, cui totius Ecclesiæ figuram gerenti Dominus ait: Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferorum non vincent eam. Petro enim successit Linus, Lino Clemens, Clementi Anacletus, Anacleto Euaristus &c. In hoc ordine successionis nullus Donatista Episcopus inuenitur.

Cathedra Petri propter peccata hominum non conuitiandum.

Idem contra literas Petiliani Dona. libro secundo cap. 51. *Cathedra tibi quid fecit Ecclesiæ Ramanæ, in qua Petrus sedit, & in qua hodie Anastasius sedet: vel Ecclesiæ Hierosolymitanæ, in qua Iacobus sedit, & in qua hodie Iohannes sedet, quibus nos in Catholica vnitate connectimur, & à quibus vos nephario furore separastis? Quare appellas cathedram pestilentiæ cathedram Apostolicam, si propter homines quos putas legem loqui & non facere, nunquid Dominus IESVS Christus propter Pharisæos de quibus ait, dicunt enim & non faciunt, cathedræ in qua sedebant, vllam fecit iniuriam? Nonne illam cathedram commendauit, & illos seruato cathedræ honore redarguit? ait enim, cathedram Moysi sedent, quæ dicunt facite, quæ autem faciunt, facere nolite: dicunt enim & non faciunt. Hæc si cogitaretis, non propter homines, quos infamatis blasphemaretis cathedrã Apostolicam, cui non communicatis. Sed quid est aliud quàm nescire quid dicere, & tamen non posse nisi maledicere?*

Tan-

Tandem omnia quasi in vnum fasciculum colligens lib. contra Epist. Manichæi *Vt omittam sapientiam, quàm in Ecclesia esse Catholica non creditis, multa sunt alia, quæ in eius gremio me iustissimè teneant. Tenet consensio populorum atque gentium, tenet authoritas miraculis inchoata, spe nutrita, charitate aucta, vetustate firmata: Tenet ab ipsa sede Petri Apostoli, cui pascendas oues suas post resurrectionem Dominus commendauit, vsque ad præsentem Episcopatum successio sacerdotum: Tenet postremo ipsum Catholicæ nomen, quod non sine causa inter tam multas hæreses sic ista Ecclesia sola obtinuit, vt cùm omnes hæretici se catholicos dici velint, quærenti tamen peregrino alicui, vbi ad Catholicam conueniatur, nullus hæreticorum vel basilicam suam vel domum audeat ostendere.* *Quæ Augustinum in Ecclesia detinuerint.*

OPTATVS MILEVITANVS libro secundo contra Donatistas. *Probamus eam esse Ecclesiam Catholicam, quæ sit in toto terrarum orbe diffusa, eius iam commemoranda sunt ornamenta, & videndum vbi sint quinque dotes, quas tu sex esse dicis, inter quas cathedra est prima. Vbi nisi sederit Episcopus, coniungi altera dos nõ poterit; Videndũ est qui & vbi priori cathedra sederit. Si ignoras disce: Si nosti erubesce. Ignorantia tibi ascribi non potest, restat ergo vt noueris. Scientem errare peccatum est. Nam ignorantibus nonnunquam solet ignosci. Igitur negare non potes, scire te in vrbe Roma Petro primo cathedram Episcopalem* *Optatus Mileuitanus.* *Roma cathedra prima, in qua Petrus sedit, &c.*

esse collatam, in qua sederit omnium Apostolorum caput Petrus; vnde & Cephas appellatus est: In qua vna cathedra vnitas ab omnibus seruaretur, ne cæteri Apostoli singulas sibi quisque defenderet, & iam schismaticus & peccator esset, qui contra singularem cathedram alteram collocaret. Ergo cathedra vnica, quæ est prima de dotibus, sedit prior Petrus, cui successit Linus, Lino Clemens, Clementi Anacletus &c. Vestræ cathedræ vos originem reddite, qui vobis vultis sanctam Ecclesiam vendicare.

S. Bernhar. S. Bernhardus ad Eugenium Papam, *Quis es? sacerdos magnus, summus Pontifex. Tu princeps episcoporum: tu hæres apostolorum: tu primatu Abel, gubernatu Noë, Patriarchatu Abraham, ordine Melchisedech, dignitate Aarō, authoritate Moses, Iudicatu Samuel, potestate Petrus, vnctione Christus. Tu es cui claues traditæ, cui oues creditæ sunt.*

Præclarum Romani Pontificis ellogium.

Conclusio rationis secundæ. Ex his & similibus infinitis aliorum patrum testimoniis manifestè liquet, quàm honorificè pia antiquitas de Romana Ecclesia senserit & locuta sit, quidque nos etiam nunc sentire conueniat. Non enim ea prisca tantùm tempora, sed nostram quoque ætatem, & vniuersum seculi decursum concernunt. Alioqui infirmæ Patrum ratiocinationes, & non magis tunc, quàm nunc hęreticos conuicturæ fuissent: si vlla temporis diuturnitas vel peruersitas exceptionem facere possit. Nec aliud quàm vniuersæ religionis incertitudo sequeretur, labascente simplicium

plicium fulcro, qui hæresibus vrgentibus nō alio, quàm Ecclesiæ solius præsidio se tutos norunt.

Sed nunc, quid ad hæc aduersarii respondeant, videamus. *Humana* inquiunt, *isthæc testimonia sunt, dubiæ fidei & fallibilis authoritatis. Nos habemus firmiorem propheticum sermonem, cui attendimus, quasi lucernæ lucenti in caliginoso loco, donec dies elucescat, & lucifer oriatur in cordibus nostris.* *Confutatio vulgarium effugioru.* *2. Pet. 1. v. 19*

Huic prætextui specioso, omnibus hæreticis familiarissimo olim *Tertullianus* respondens, seriò admonet, ne Catholici cum hæreticis de fide disputaturi, fucum scripturarum admittāt, sed ad maiorum potius traditionem prouocent, & ex illa germanam fidei sinceritatem petant. *Nihil enim proficit*, inquit, *congressio scripturarum, nisi planè vt aut stomachi quis ineat euersionem aut cerebri. Ista hæresis non recipit quasdam scripturas: & si quas recipit, adiectionibus & detractionibus ad dispositionem Instituti sui interuertit: & si recipit, non recipit integras: Et si aliquatenus integras præstat, nihilominus diuersas expositiones commentata conuertit. Tantum veritati obstrepit adulter sensus, quantum & corruptor stylus.* Et paulò post. *Quid promouebis experientissime scripturarum, cùm si quid defenderis negetur: è diuerso, si quid negaueris defendatur. Et tu quidem nihil perdes, nisi vocem in contentione: nihil consequeris, nisi vilem de blasphematione laudem.* *Tertull. de præscript. cap. 16. 17. 18* *Scripturæ abusus apud hæreticos.* *Ibid. cap. 17.*

Fruſtra igitur ouillam hanc pellem oſtentatis, Nouatores, nec ſcripturam ſequimini ducem, ſed ſomnia capitum veſtrorum, & deliria præceptorum veſtrorum, qui abrepti ambitione, vel ſpiritu vertiginis conuulſi, tam tetra mundo monſtra pepererunt; vt rectiſſimè vobis applicetur alte-

2. Pet. 2. v. 17. 18.

rum illud Petri: *Hi ſunt fontes ſine aqua, & nebulæ turbinibus exagitatæ, quibus caligo tenebrarum reſeruatur. Superba enim vanitatis loquentes, pelliciunt in deſideriis carnis luxuriæ eos, qui paululum effugiunt, qui in errore conuerſantur. Libertatem illis promittentes, cùm ipſi ſerui ſint corruptionis.* Ne autem quiſquam ſe fallat Apoſtolici dicti deprauatione, attendat reſtrictionem ibidem diſertiſſimè additam: *Hoc primum intelligentes, quòd omnis prophetia ſcripturæ propria interpretatione non fit. Non enim voluntate humana allata eſt aliquando prophetia: ſed Spiritu ſancto inſpirati locuti ſunt ſancti Dei homines.* En verum ſcripturarum vſum & neruum. Non hoc de ſcripturis eſt, quod hic vel ille tenebrio ex verbulis aliquot preſſis & detortis comminiſcitur, ſed quod in mente authoris fuiſſe Spiritus ſanctus per publicam & vnanimem Eccleſiæ vocem & praxin ab exordio huc vſque durantem teſtatur: contra quam pugnare vt dementiſſimæ inſaniæ eſt, ita in fide periculoſiſſimum. Non enim cuiuis datur donum intelligentiæ, aut prophetiæ, ſed multi temeraria inter-

Scriptura non eſt priuatæ interpretationis.

interpretandi præſumptione grauiter ſe & ſalutem ſuã vulnerarunt: quemadmodum ipſe Petrus ſequenti cap.3. epiſtolarum Paulinarũ exemplo oſtendit: *in quibus* inquit, *ſunt quædam difficilia intellectu, quæ indocti & inſtabiles deprauant, ſicut & cæteras ſcripturas, ad ſuam ipſorum perditionem.* Hinc Auguſtinus epiſt. 222. ad Conſentium, *intellectum valdè ama, quia & ipſæ Scripturæ ſanctæ, quæ magnarum rerum ante intelligentiam ſuadent fidem, niſi eas rectè intelligas, vtiles tibi eſſe non poſſunt. Omnes enim hæretici qui eas in authoritate recipiunt, ipſas ſibi videntur ſectari, cùm ſuos potiùs ſectentur errores, ac per hoc non quòd eas contemnant, ſed quòd eas non intelligant, hæretici ſunt.*

2. Petri 3. v. 16.

Scripturæ intelligentia ſectanda.

Et ſanctus Hieronymus contra Lucifer. cap. 9. *Nec ſibi blandiantur, ſi de ſcripturarum capitulis videntur ſibi affirmare quod dicunt; cùm & Diabolus aliqua de ſcripturis ſit locutus, & ſcripturæ non in legendo conſiſtant, ſed in intelligendo.*

At hæc omnia nihil ad nos, inquiunt, *qui verum ſcripturæ ſenſum tenemus & tuemur.* Quo vero id iudice, inquam. *S. ſcriptura* inquiũt, *quæ vel ita per ſe manifeſta eſt, vt cuiuis pateat: vel aliorum locorum collatione facilè pateſcit.* Prius illud quàm falſum ſit, iam Petrus docuit exemplo & ratione. Si enim epiſtolæ Paulinæ magna ex parte obſcuræ, ſi in genere ſcriptura priuatæ interpretationis non eſt, quid opus de iſta tam lucida perſpi-

Scripturæ difficultas.

cuitate

cuitate oggannire? Aliter longè *Augustinus Epist. 3. ad Volusianum: tanta est Christianarum profunditas literarum, vt in eis quotidiè proficerem, si eas solas ab ineunte pueritia vsque ad decrepitam senectutem, maximo otio, summo studio, meliore ingenio conarer addiscere.*

Et Chrysost. homil. 40. in Iohan. *Christus* inquit, *Iudæos ad scripturarum non simplicem & nudam lectionem, sed ad inuestigationem per quàm diligentem relegauit. Non dixit, legite scripturas, sed scrutamini, diuina enim summa indigent diligentia. In vmbra enim maioribus illis nō absre locutus est, idcircò effodere profundiùs iubet, vt quæ altè delitescunt, inuenire possimus. Non enim rem in superficie, & in promptu positam effodimus, sed quæ tanquam thesaurus profundè reconditur, qui enim huiusmodi quærit, nisi summam adhibeat diligentiam & laborem, nunquam quæsita inueniet.*

Collatio locorum similium.

Iam posterius illud *de collatione*, quæro quo fundamento nitatur. Aut enim collatio illa certam & præscriptam in scriptura regulam habet, aut priuato fit cuiusque conferentis arbitrio. Si illud, ostendatur. Si hoc, res eodem redit, nec maioris authoritatis collatio duorum dictorum est, quàm nuda vnius interpretatio: cùm norma semper priuati hominis sit iudicium.

Analogia Fidei.

Fidei, inquiunt, *analogia regula est vtriusque, & interpretationis & collationis.* Rectè inquam: sed non quæuis à quouis grege consarcinata analogia, sed vera, prisca, Catholi-

ca

ca, quæ ſemper & vbique ab exordio prædicationis Apoſtolicæ apud orthodoxos obtinuit. *Qui enim non credit id, quod ſemper & vbique, & ab omnibus ab Eccleſia exordio creditum eſt, Catholicus non eſt*, inquit Vincentius Lirinenſis in commonitorio. Hinc aliam facit interpretationem & collationem Arianus, aliam Samoſatenianus, aliam Lutheranus, aliam Anabaptiſta, quia aliam ſinguli analogiam ſequuntur: & tamen omnes errant, quia ab vna incommutabili Eccleſiæ confeſſione diſceſſerunt.

Catholicum quid.

cap. 3. & 25

Iam poſtremò *quod de Spiritus Sancti interpretando ductu & regimine excipere ſolent*, verum quidem eſt, ſed nihil ad ipſos. *Qui enim Christi non ſunt, quomodo ſpiritum Chriſti poſſidebunt? Quomodo autem Chriſti ſunt qui in corpore eius non ſunt, quod eſt Eccleſia, vbi membra per vnitatis charitatem ſibi copulantur, & per eandem capiti ſuo cohærent, quod eſt Chriſtus Ieſus. Totum enim quod annunciatur de Chriſto, caput & corpus eſt, caput eſt ipſe vnigenitus Ieſus Chriſtus filius Dei viui, ipſe Saluator corporis, qui mortuus eſt propter delicta noſtra, & reſurrexit propter iuſtificationem noſtram. Corpus eius eſt Eccleſia, de qua dicitur, vt exhiberet ſibi glorioſam Eccleſiam, non habentem maculam aut rugam, aut aliquid huiuſmodi.*

Ductus Spiritus ſancti.

Rom. 8. v. 9.

Auguſt. de Vnitate Eccleſiæ cap. 2. & 17.

Quod ſi ergo hoc telo pugnare vultis, Nouatores, quæro, num arbitremini, maiorem Spiritus ſancti afflatum in ſeditioſis veſtris

Comparatio veterum & nouorū Doctorum.

ſtris tribunis & nouatoribus fuiſſe, qui ne honeſtæ quidem vitæ teſtimonium habuerunt, *& cùm pro ſua ſuperbia nimis affectarent plurimum poſſe, ad ſua tamen vitia ſananda, vel refrenandam maledicentiam & liuorem nihil potuerunt:* quàm in ſanctiſſimis illis, doctiſſimis & celeberrimis Eccleſiæ Patribus & Pontificibus, quorum plerique etiam ſanguine ſuo veritatem cœleſtem obſignarunt, & ſtupendis miraculis ſuam apud Deum gloriam & beatitudinem teſtati ſunt? Nonne his dicentibus potius & facientibus, illuſtriſſimisque rationibus probantibus Spiritum ſanctum incubuiſſe fatebimur: quàm illis nugantibus, & vita ſemetipſos refellentibus? *At patres* inquitis, *nobiſcum faciunt, & à noſtris ſtant partibus.* Hoc ſanè Caluinus audacter affirmat: *Si patrum* inquit *authoritate dirimendum certamen eſſet, melior victoriæ pars (vt modeſtiſſimè etiam loquar) ad nos inclinaret.* Et paulò poſt. *Si id præſentis inſtituti eſſet, nullo negotio mihi liceat meliorem eorum partem quæ hodie à nobis dicuntur, patrum ſuffragiis comprobare.*

S. Auguſt. epiſt. 3. ad Voluſian.

S. Patres ab vtra ſtet parte.

Caluinus præfat. inſtit. ad regem Galliæ.

Verùm quàm horribile & impudens illud ſit mendacium, ego longè minori negocio, ſi huius inſtituti eſſet, contra Caluinum demonſtrarem. Ita enim omnia, quod legenti prima fronte patet, ſunt δὶς διὰ πασῶν, vt non immeritò alibi tam inhumaniter Patribus barbas vellicent: quemadmodum *VVittackerus* Hieronymi laudes præclarè

VVittakerus in dupli

clarè ſcil. canit, cum ſcribit *Auguſtino malim ſimiliorem eſſe quàm Hieronymo, quem* Τῦφος *Romanus & triumlinguarum rara tum ſcientia & ſolitudo Bethlehemitica moroſiorem fecit, vt nonnunquam lingua & calamo minus temperarit, quam talem virum & tantam ſanctimoniæ profeßionem decuerit.* Et contumelioſius adhuc Lutherus. *Homo fuit nullius neque iudicii neque diligentiæ. Multa impiè ſcribit eafuit oſcitantia & hebetudo eius in ſcripturis intelligendis, more ſuo Iudaicas cæcitates pro hiſtorico ſenſu, deinde ſuas ineptias pro allegoria obtrudit.* Non honeſtiora de aliis iudicia ferunt alii, quæ tanquam impuram ſentinã libenter intacta relinquo. Plurimum autem admiror Flaccii Illyrici temeritatem, qui in præiudicium Romanæ Eccleſiæ CATALOGVM ſcilicet TESTIVM VERITATIS colligere conatus eſt, hoc animo, vt oſtenderet ſingulis ſeculis aliquos extitiſſe, qui papatui contradixerint, eiuſque doctrinam coarguerint. Quaſi vero nouum & inſolitum ſit hæreſes exiſtere, & diabolũ ambitioſa vel irrequieta excitare ingenia, qui Chriſto contradicant, præſertim cùm ſcriptura doceat, *hunc eſſe poſitum in ſignum contradictionis, eumque dominaturum in medio inimicorum ſuorum.* Quanquam falſos etiam ſæpe teſtes citat. Aut enim hos affert, qui cũ cauſa eius nihil quicquam habent commune: aut eos qui ſimili ſcabie infecti, ab omni antiquitate iam olim hæreſeos condemnati ſunt, ac ne teſtium quidem

cat contra Stapletonũ.

Conuitia in S. Patres.

Lutherus de S. Hieronymo.

Flaccius Illyricus.

Cathalogus Teſtium Veritatis.

Luc. 2.

nomen merentur: aut denique ſanctorum quorundam Patrum, ac conſtantium Eccleſiæ filiorum defenſorumque, ſeuerioribus ad morum correctionem ſpectantibus inuectiuis pro ſacrilega ſua diſperſione abutitur. Sed ſciat aliud eſſe mores carpere, aliud fidem condemnare: Sciat teſtibus fide dignis, non hæreticis aut refractariis obedientiæ contemptoribus hic locum eſſe: Sciat denique fidem Catholicam non ex vnius atque alterius in hoc vel illo angulo tenebrionis intempeſtiua bile, ſed ex conſtanti ſcripturarum, vetuſtatis ac totius orbis Chriſtiani conſenſione diiudicandam. Rectiſſimè igitur ad hunc totum catalogum, ementitam atq; emendicatam nouæ Eccleſiæ defenſionem reſpondebimus, quod *Lucullus* olim apud *Ciceronem 4. Academica* aduerſus nouam Philonis, Arceſilæ, Carneadiſque Academiam, veterum quorundam philoſophorum authoritate ſeſe venditantem reſpondit, *Primùm mihi videmini*, inquit, *cùm veteres Phyſicos nominatis, facere idem quod ſeditioſi ciues ſolent, cùm aliquos ex antiquis claros viros proferunt, quos dicant fuiſſe populares, vt eorum ipſi ſimiles eſſe videantur. Repetunt iam à P. Valerio, qui exactis regibus primo anno conſul fuit; commemorant reliquos, qui leges populares de prouocationibus tulerint, cùm conſules eſſent: tum ad hos notiores (Flaminium, qui legem Agrariam aliquot annis ante ſecundum Punicum bellum Tribunus Pleb.*

Lucullus.

tulerit

tulerit inuito ſenatu, & poſtea bis conſul factus ſit, &c. *Horum nominibus tot virorum atque tantorum expoſitis, eorum ſe inſtitutum ſequi dicunt. Similiter vos cùm perturbare, vt illi Rempub. ſic vos philoſophiam benè iam conſtitutam velitis, Empedoclem, Anaxagoram, Democritum, Parmenidem, Xenophanem, Platonem,* &c. *Socratem profertis.* Profectò viua noſtrorum Arceſilarum imago, qui cùm firmis Theologiæ ſuæ fundamentis deſtituantur: fictitiæ antiquitatis robore ſe ſaluos ſperant: cùm alioqui veram antiquitatẽ, *quam ſic ſequimur, ſi ab his nullatenus ſenſibus recedamus, quos Sanctos maiores ac Patres noſtros celebraſſe manifeſtum eſt.* Veram vniuerſitatem, *quam ſic ſequimur, ſi hanc noſtram fidem veram eſſe fateamur, quam tota per orbem terrarum confitetur Eccleſia:* Veram conſenſionem, *quam ita ſequimur, ſi in ipſa vetuſtate, omnium vel certè penè omnium ſacerdotum pariter & magiſtrorum definitiones ſententiasque ſectemur:* Non tantùm rideant, verùm etiam horribili audacia condemnent, & pedibus proculcent. *Si vel totum* inquiunt, *Senatum Patrum in nos commoueritis, niſi quod dicitur Dei non hominum voce comprobetur, nihil comprobabis.* Quid ita vero? *Patres enim in multis inſigniter erraſſe, nemo niſi inſigniter indoctus neſcit.* O fatum pariter mortuorũ & viuorum! Quaſi verò non hoc agatur, magis de Dei ſenſu eſſe, quod diuinæ iſtæ animæ nobis ab Apoſtolis acceptum tradiderunt:

Vincent. Lirinenſis contra hæreſes cap. 3.

VVittackerus contra Sanderum de Antichriſto ad demonſtrat. 7. Ibidem.

runt: quàm quod distorta & inflata ingenia hodie vel heri de priscorum hæreticorum lacunis resorptum mundo ad interitum propinarunt. Atqui homines fuerũt Patres lapsi sæpiùs & præuaricati. Quidni homines: modo non bestiæ. Lutherus verò tuus, Caluinus, Zuinglius, Beza, nunquid Dij sunt, extra aleam infirmitatis & erroris positi? Quid tu, qui tuopte iudicio scripturas legis, vertis, interpretaris, fidei controuersias disceptas, ac priuato quasi nisu in cœlum tendis, nunquid non ipse quoq; homo es, errorum vile mancipiũ & tenebrarum abyssus? S. Patres quod attinet, fatemur sanè illos pro cõmuni infirmitatis lege humani interdũ aliquid passos, & vel incommodiùs sensisse, vel imprudentiùs locutos esse, quod ipsi posteà corrigerent & retractarent. Sed quid hoc ad infringendam ipsorum grauissimam authoritatem. Etsi enim aliqui in quibusdam aliquando dogmatibus errauerunt, nunquam tamen omnes simul in eodem errore conuenisse demonstrabis. Et sunt plerunq; errores isti in minutioribus capitibus, quæ fidei summam & analogiam non concernunt: & in quibus salua vnitate Ecclesiæ etiam sanctissimi inter sese discrepare possunt. Attende igitur & sequere saluberrimum *Thomæ VValdensis* in hoc casu consilium. *Siquid* inquit, *quisquam Patrum per se solum in aliqua re opinando decreuit, illo dimisso solum hoc astruam, quod maior pars Patrum à tempore, Aposto-*

Patrum errores quales.

Vide Vincent. in common. cap. 9. & 39.

In princip. doctrin. fidei.

Apostolorum successiuè ad nos vsq; sensit & tradidit: a qua professione nullus sub pœna perfidiæ potest declinare fidelis. Sed hic iterũ duo grauissimi doctrinæ & morum Ecclesiæ Catholicæ quasi scopuli incidunt, quibus omnis hęreticorũ infidelitas alliditur, & à salutis portu non absterretur tantùm, sed & repellitur. Vah inquiũt, quid tu nobis Romanã Ecclesiam, quæ tam multa falsa & adulterina, à cõmuni sensu & scripturæ veritate abhorrẽtia continet: cuius *tectum stramineum, parietes lutei, fundamentum arenaceum.* Illiq; rei vt fidẽ aliquam faciãt, capita nonnulla accersunt calũniæ opportuna, quibus exagitãdis imperitæ plebeculæ stomachum mouent, cornutasq; beluas in Romanã Ecclesiã grauiter impingant. Prędestinationis inquiunt causas ex præuisis hominũ meritis distinguunt Papistæ. Fidem & conuersionem libero arbitrio asscribunt: Septem Sacramenta ponunt: Ex omnibus idola faciunt: opus operatum sine fide vrgent: Missæ sacrificio vnicum sacrificium Christi repetendo abolent: Iustificationem promiscuè operibus tribuunt: Matrimoniũ damnant: ciborum dierumq; discrimina statuunt: sanctis defunctis cultũ & inuocationem assignant: animas in purgatorium relegant: traditionibus omnia probant, & scripturam sanctam pedibus conculcant.

Scopuli doctrinæ Catholicæ.

VVittack. præfat. duplicat. contra Stapletonum.

Hæc tam putida & virulenta conuitia, quibus omnis Catholicorum insectatio tanquam fasciculo comprehenditur, si ordine

nobis refellenda, & veritas à ſcoriis mendaciorum ſeparanda foret, integram huc Theologiam accerſere cogeremur, quod nec huius inſtituri, nec præſentis temporis eſt. Vt tamen aliqua hic attingam, & cum iſtis hominibus paulò familiariùs agam, id eſt, ſicut ego poſſum, non ſicut doctiſſimos viros poſſe miratus ſum: Vnum hoc dico, triplici ab iis ratione in doctrina Catholica trutinanda peccari. Primùm nuda imperitia & infidelitate, cùm ea quæ re vera à Catholicis creduntur, & vera, bona, ac ſalubria dogmata ſunt; turpi infidelitate damnant & reiiciunt. Deinde mendacio aperto, cùm ea quæ á Catholicis non creduntur, ſed damnantur, ab illis credi & ſentiri exiſtimant, iiſque impudenter aſſcribunt. Tertiò calumnia, cùm quædam quæ credunt, ſiniſtrè interpretantur, & à genuino ſenſu detorquent, quo dira & fugienda exiſtimentur. Primi generis ſunt iſta, quæ de 7. Sacramentis, de ſacrificio Miſſæ, de purgatorio, de cultu & inuocatione Sanctorum obiiciunt, quæ & in ſcripturis & Patribus, & Conciliis, & vniuerſæ Eccleſiæ praxi fundamentum habere, ſuo loco iuuante Domino oſtendemus. Secundi & tertii generis ſunt plurima: quæ vel à miniſtellis imperitis confinguntur, vel de genuina ſententia in alienam detorquentur, vt non tam Catholicorum dogmata, quàm proteſtantium mendacia dici debeant. Audiui profectò ego interdum conciones, quas Catholi

Triplex cauſa erroris apud Proteſtantes.

cus

cus vno verbo refutasset; MENTIRIS: non sic credimus: non sic docemus: sententiam nostram nunquam rectè percepisti, nunquam legisti, rationibus friuolis tanquam gladio plumbeo pugnas. Et sane quotus quisque nouorum Theologorum in Catholico ita puluere exercitatus est, vt non rudibus tantum batuere, sed acuto etiam ferro cum aduersario congredi ausit? Noui plerosque indulgere affectibus, Catholicorum scripta ne de limine quidem salutare, sed cane peius atque angue odisse: In disputationibus plus quam frigidos & nudos esse: quoties vrgentur, vel ira ebullire, vel antiquam cantilenā repetere: susque deque ferentes, quicquid centies millies ex scriptura, Patribus, Conciliis, vniuersæ Christianæ Ecclesiæ, etiam in remotissimis terræ partibus consensu responsum sit.

His ductoribus quis se tutò committere ausit? an nō metuitis boni, ne vobis eueniat illud Euangelicum, *Cæcus cùm cæcum ducit, vterque in foueam cadit.* Quin ergo ipsi potius curam animarum vestrarum suscipite, ipsi libros Catholicorum legite, ponderate, iudicate: caput depono, si non quàm primum ignorantiam vestram damnaturi, & causæ meæ æquiores vos iudices præbituri estis. Nam vt eadem similitudine vtar, qua quondam *Martyr* vester vsus est. *Si quis fortè per aprica deambulans è longinquo mulieres viris mixtas saltare videat, nec sonū vllū audiat,*

Matth. 15. 14.

In vita Galeacii caraccioli Vici Marchionis.

 stultas

ſtultas eas iudicabit, ſed ſi propius accedat, ita vt numeros ad quos ſaltant, audire poſſit, mutata de iis ſententia non ſolùm delectabitur, ſed etiam commoueri deſideriumque accendi in ſe ſentiet, cum eis pariter ſaltandi. Eodem modo multi nunc ſtultum me & perditum iudicantes, vbi harmoniam & concentum Catholicæ fidei ſanis auribus perceperint, facilè in idem mecum choragium iuuante Domino deſcendent. Nec quenquam à ſancto propoſito abſterreant imperitæ ſtultorum voculæ, Papiſtas ſophiſtas eſſe, patrum corruptores, Antichriſtianiſmi defenſores & incruſtatores. Cogitet ipſe quorum hæ voces ſint, infenſiſſimorum nempe inimicorum, quorum teſtimonia paruiducenda vel ipſi mente capti norunt. Præclarè Auguſtinus Epiſt. 227. ad Albinum. *Multi ſunt* inquit, *qui detrahendo nobis cæterorum animos, à quibus diligi videmur, aduerſus nos perturbare conantur, vt locum in eis Diabolo faciant. Cùm autem iraſcuntur nobis, de quorum ſalute ſatagimus, magnum illis conſilium vindicandi eſt libido moriendi, non in corpore ſed in corde, vbi funus occultè prius ſuo putore ſentitur, quam noſtra cogitatione perſpicitur.* O quàm verè ego vobis chariſſimi bona conſcientia teſtari poſſum, quod multorum annorum lectione, & nunc aliquantuli temporis vſu deprehendi, Papiſtas, quos vocatis, & inprimis Ieſuitas viros eſſe omni laude digniſſimos, humanitate, ſanctitate, morumq; facilitate illuſtriſſimos.

Conuitia in Catholicos & Ieſuitas præſertim.

Laus Catholicorũ ipſo liuore teſte.

mos. Denique non humaniori tantum literatura, sed theologica in primis eruditione, veterum Patrum & historiarum cognitione instructissimos: vt si quos de aliqua quæstione consulere velis, hic quasi omnem eruditionis thesaurum defossum reperias. Legite quale ipsi Caluinistæ de vnico Bellarmino meo (quem honorificentissimæ memoriæ causa nomino) iudicium ferant, ex quo cæteros facilè cognoscetis. *VVittackerus* præfat. disput. de Verbo Dei ad Wilhelmum Cecilium: *De quo* inquit, (Bellarmino) *cùm meam vir honoratiß. opinionẽ quæreres, respondi quemadmodũ sensi,* ME ILLVM IVDICARE VIRVM SANE DOCTVM, INGENIO *felice, iudicio subtili, lectione multiplici præditum, qui soleret etiam apertius ac simplicius agere, quam reliqui consueuerunt Papistæ, & argumentum pressius vrgeret, & arctiùs ad causam adhæresceret. Sic enim homo eruditus in scholis, & controuersias ex instituto tractans, in argumento totus, missis circuitionibus atq; ambagibus versari, hærere, habitare debuit,* &c. Idem præfat. 2. ad lectorem duplicatione aduersus Stapletonũ: *Sunt Iesuitæ humaniores Stapletono, qui propter præfractam atq; intractabilem naturam non potuit fieri Iesuita. Bellarmini quidem agnosco, quemadmodum in controuersiarum præfatione scripsi, felix ingenium subtile iudicium, lectionem multiplicem. Ista tamen in Bellarmino eiusmodi sunt, vt commendationem potius quam admirationem mereantur.*

Laus Bellarmini ex VVittackero.

Ex Francisco Iunio.

Iam *Franciscus Iunius* quondam Præceptor meus, quâm prolixus eſt in commemorandis eiuſdem Bellarmini laudibus? paginas ſanè multas complet in præfatione ſuarum in Bellarminum Notarum: quas etſi inuitus, tamen in veſtri gratiam aſſcribam Nouatores, vt ſi aures veſtræ aduerſus preces meas clauſæ ſint, voci doctorum veſtrorum pateant. *Reuera ardua multa* (inquit) *in iſto opere inſtituto, ac velut pilatas acies agmine facto oportet homini occurriſſe, quum in tantis rebus argumētisque, accuratè & condignè ſcientiam à Deo multiplicem deſiderari putauerit, vt hæreticos non vnius generis, ſed varia variorum examina ſtrenuè vna acie proſterneret. Quapropter cùm gratias illi ago & habeo maximas, quod tantum ſpatii tanto ſuo & collegarum ſuorum* τὸ κατ᾽ αὐτοὺς συνερανιζόντων *labore in accumulando & coagmentando vaſto illo controuerſiarum & diſputationum corpore conſumpſerit; tum ab omnibus bonis Chriſtianisq; deberi iudico. Nam ſiue ea quæ rectè & ex veritate ab eo dicta ſunt, reſpexeris aduerſus falſa errantium & hæreticorum dogmata, labor eſt ſua laude dignus; ſiue ea quæ præter veritatem conſtabiliendis Eccleſiæ Romanæ* ψευδωνύμως *dictæ & Pontificiæ, dogmatis propugnandisq; attulit ſaltem eo nomine videtur non malè de nobis meritus, quòd capita illa doctrinæ, in quibus à vero aberrãt, diſſident, aut inſtabiles ſunt Pontificii, in vnum compegit atq; concinnauit, multasq;*

Loquitur aduerſarius ex ſuo ſenſu.

tasq;

tasq; multorum sententias, summa pontificum Academiarumq; Pontificiarum approbatione munitas comportauit & conclusit sententia sua.

Ac eorum quidem omnium, quæ verè & sanctè aduersus hæreses ab illo dicta sunt, laudem iustam vt præcerpamus aut deminuamus, neq; est viri boni & Christiani officium, neq; est nobis animus, aut vnquam fuit. Etenim quicquid bonum, verum, sanctum, & iustũ est, cùm à Deo sit, id tanquam à Deo oportet accipi atq; asseruari; ac non superciliosè attendi, per quos, aut etiam quomodo nobis offeratur. Bonum, verum, sanctum, iustum, homini semper thesaurus iustus est; quem ab instrumento quolibet non dedignantur percipere boni & prudentes viri, sed vltrò quasi rem à Deo per instrumenta, licet aliena, inepta, indignaq; oblatam accipiunt, qualicunq; modo offeratur. Quæcunque περὶ πόδας *sunt (vt vulgo dictum est) à quocunque homine sint, laudare iubemur natura duce, vt à sutore quamuis cætera ineptissimo nos patimur calceari, si pedem calcei non vrant, non follicent, non sint incommodi, Hæc de iis, quæ rectè Bellarminus scripsit, bona fide profiteor, æquo animo censeo, & bonos mecum censuros confido, ne in bonum, verum, sanctum, iustum iniquo animo propter aliquam si forte hominis cuiusquam iniquitatem dicamur* ἐμπαθῶς *inuehere, aut ob alienum vitium doctrinam Deo bonisq; ex n aura & ratione & fide probatam respuere.*

Sed in altero illo argumentorum genere, quæ

Errores tributi Bellarmino, sed falsò.

præter veritatem stabiliendis Pontificum suorum dogmatis ab eo perscripta fuisse arbitramur, suam quoq; aureolam (vt loquuntur) ipsi ex animo vltrò concedimus, nec eum omninò abiici è manibus aut contemni putamus oportere. Cùm enim veri illius, quod inuestigare nos omnes profitemur, duplex sit modus, prout verum est in sese, & pro vt est in mente & intellectu nostro, Omne quidem tulisse punctum videtur is, qui verum priore illo modo assequitur, & perceptum potest exponere: veruntamen, quia id per omnia facere diuinitatis potius quàm humanitatis est (vt Imperator loquitur) is etiam punctum aliquod tulisse putandus est, qui cùm veri aliquid attulit (vt à Bellarmino factum agnoscimus) tum si quando per inscientiam infirmitatemque humanam ab eo abest, quod secundum Deum & naturam verum est, tamen quod in animo & intellectu concepit, siue verum, siue falsum, ex veritate sui conceptus enunciat.

Præter verò non indicat.

Non enim diffiteor multa esse, adeoq; plurima, in quibus Bellarminum iudico à vero, quod propriè & per se verum est, aberrare; prout & nos quoq;, dum hic viuimus in ista labe peccati & tenebris carnis nostræ, ex parte solum cognoscimus, atq; ex parte prophetamus, vt optimè docet Apostolus 1. Cor. 13. Ex eo enim id omnino sequitur, nos ex parte quoq; multa non cognoscere, sed tenebris erroris obductos falsum pro vero plurimum amplexari. Sed duo hic nobis occurrãt, & in animo insideant omni tempore necesse est: vnum

vnum errare, labi, decipi humanum esse, & neminem hominem esse (quod aiebat ille) ex omni parte beatum: alterum infirmitatem atq; inscientiam humanam a bonis humaniter accipi oportere; idq; ea lege, vt quod bonũ verumq; est, ac dicitur a quouis homine teneas, quod malum aut falsum abiicias, & vtrumq; certo iudicio probes ex regula veritatis. Sic quod verè Bellarminus adfert, probamus verè: quod falsò, tamẽ quia ex vero sensu mentis eum dicere præsumimus, discernẽtes humanæ illius ignorantiæ & infirmitatis vitium, æquo animo ferimus, donec melius ipsi reuelet Deus: & cum ipsius, tũ populi Christiani causa (de cuius salute laboramus quotquot membra sumus de corpore Christi.) sine iracundia aut perturbatione animi refellimus. Nam vt statuamus eũ præter veritatẽ sensus interni sui dicere ea, in quibus ipsum à vero abesse iudicamus, nec charitatis officiũ patitur, ad quod vocati sumus, & in quo alii debemus aliis prælucere, nec sensus conditionis nostræ. Videt ipse in corde suo quid sentiat; videt ille maior corde ipsius, & nostro Deus: cuius solius videre est, perfecto diuinoq; visu, & perfecta diuinaq; iustitia ab eis, qui contra conscientiam veniunt, reposcere. Stat aut cadit quisq; domino suo; in cuius oculis omnia sunt peruia, atq; (vt Apostolus ait Hebr. 4.) τετραχηλισμένα. Atque hæc de primo obstaculo, quo Nouatores omnes à fide Catholica amplectenda abstineri nouimus, plus satis.

Alterum

Alteri Obiectioni à moribus Catholicorum occurritur.

Alterum iam ſequitur quod priſca omnium hæreticorum conſuetudine à moribus Catholicorum deſumunt, quos virulenta lingua inceſſere, ac modis omnibus tãquam Epicuri familiam exagitare nunquam deſiſtunt. Quid, inquiunt, nos Romanã Eccleſiã, quæ tantis vndiq; vlceribus ſcatet? Quæ pontifices ſæpe habet non admodum probæ notæ, clerum incontinentem, ſacerdotes concubinarios, Epiſcopos auaros ac ſanguinolentos, plebem etiam non ſatis bene moratam, ac multis turpiſſimis vitiis delibutam.

At tu inquam, vir pie, quàm rigidus es, quàm largus vitiorum exprobrator, quam certus incertorum aſſeuerator? Quo vero iſta teſtimonio comprobas? Si accuſare ſufficiat, quis innocens erit? & qui paratus eſt in alium dicere, carere debet omni vitio. Miſeri homunculi in multis labimur omnes. Et qui ſine peccato eſt, primum lapidem tollat. Forte feſtucæ fratrum intenti noſtras trabes obliuiſcimur, & quæ in aliis accuſamus, nos liberius perpetramus. Sed ne paria delicta paribus opponendo, vulneremus cauſam magis, quàm propugnemus: age Scripturam adeamus medicam, & quomodo huic vulneri medendum ſit, audiamus. Pharmaca illa tria nobis ſuppeditat, quorum primum eſt æquitatis, vt ne ſeueros aliorum iudices nos præbentes, veritatem lædamus & innocentiam. Alterum manſuetudinis, vt aliorum delicta & infirmitates patienti animo ſuſtineamus,

neamus, & misericordiæ affectu superemus. Tertium sapientiæ, vt nihil nos ex aliorum casibus detrimenti vel contagionis percipere cognoscamus. 3. Quæ tria si diligenti vsu versauerimns, nihil planè ex aliorum lapsibus afficiemur. Vel enim dexterrima quæq; de fratribus cogitabimus, & quæ alii mala exagitant, falsa esse suspicabimur: Vel ea, quæ conściis nobis perperam gesta sunt, humanæ infirmitati, grauibusque Diaboli tentationibus asscribemus: Vel denique ea quæ nulla ratione excusari possunt, & vel DEI vel hominum castigatione digna iudicamus, suis authoribus luenda, non nostræ curiositati exagitanda relinquemus. Nullius facinoris culpa in te redundabit, nisi quod vel ipse admiseris, vel iusseris, vel probaris. Purum animum nulla peregrina labes inficit. *Tu ergo quis es, qui iudicas alienum seruum? Domino suo stat aut cadit, Stabit autem. Potens est enim DEVS statuere illum.* Nonne memores eius, quod Dominus præcedit: *Nolite iudicare, vt non iudicemini. In quo enim iudicio iudicaueritis, iudicabimini: Et in qua mensura mensi fueritis, remetietur vobis. Quid autem vides festucam in oculo fratris tui, & trabem in oculo tuo non vides?*

Rom. 14. 4.

Matth. 7. ℣. 1. 2. 3.

Et D. Paulus, *Propter quod inexcusabilis es ô homo omnis; qui iudicas. In quo enim iudicas alterum, te ipsum condemnas. Eadem enim agis quæ iudicas. Scimus enim quoniam iudicium Dei est secundum veritatem in eos, qui talia*

Rom. 2. ℣. 1. 23.

lia agunt. Existimas autem hoc ô homo, qui iudicas eos, qui talia agunt, & facis ea, quia tu effugies iudicium Dei?

S. Cyprianus. Quàm sapienter Cyprianus Epist. 51. ad confesso. *Etsi videntur in Ecclesia zizania esse, non tamen impediri debet, aut fides, aut charitas nostra, vt quoniam Zizania esse in Ecclesia cernimus, ipsi de Ecclesia recedamus. Nobis modo laborandum est, vt frumentum esse possimus, vt cùm cœperit frumentum dominicis horreis condi, fructum pro opere nostro & labore capiamus.* Huius vestigiis insistens *Augustinus*: Epist. 165. *In illum autem ordinem Episcoporum* inquit, *qui ducitur ab ipso Petro vsque ad Anastasium, qui nunc eandem cathedram sedèt, etiamsi quisquam traditor per illa tempora subrepsisset, nihil præiudicaret Ecclesiæ & innocentibus Christianis: quibus Dominus prouidens, ait de præpositis malis: quæ dicunt, facite, quæ autem faciunt, facere nolite: dicunt enim & non faciunt. Vt certa sit spes fidelibus, quæ non in homine, sed in Domino collocata, nunquam tempestate sacrilegi schismatis dissipetur: sicut dissipati isti sunt, qui legunt in codicibus sanctis Ecclesias, quibus Apostoli scripserunt, & nullum in eis habent Episcopum.*

Idem de moribus Ecclesiæ Catholicæ, cap. 32. *Perpetienda sunt vitia multitudinis, vt curentur, & prius toleranda, quæ sedanda est pestilentia.* Ibidem cap. 34. 35. *Nunc vos illud admoneo, vt aliquando Ecclesiæ Catholicæ ma-*

cæ maledicere desinatis, vituperando mores hominum, quos & ipsa condemnat, & quos quotidie tanquam malos filios corrigere studet. Sed quicunque illorum bona voluntate DEIQVE auxilio corriguntur, quod amiserant peccando, pœnitendo recuperant. Qui autem voluntate mala in pristinis vitiis perseuerant, aut etiam addunt grauiora prioribus, in agro quidem Domini sinuntur esse, & cum bonis seminibus crescere, sed veniet tempus, quo zizania separentur. Aut si iam propter ipsum Christianum nomen magis in palea, quam in spinis esse arbitrandi sunt, veniet etiam qui aream purget & à frumentis paleam separet, & singulis partibus pro suo cuiusque meritò, quod oportet summa æquitate distribuat. Vos interea quid sæuitis, quid excœcamini studio partium? quid tanti erroris longa defensione implicamini? Fruges in agro, frumenta in area quærite, apparebunt facilè, se seq; offerent ipsa quærentibus. Quid nimis in purgamenta oculos intenditis? Quid ab opimi horti vbertate imperitos homines sepium asperitate terretis? Est certus aditus, quamuis paucioribus notus, quà possit intrari, quem vos aut esse non creditis, aut inuenire non vultis. Sunt in Ecclesia Catholica innumerabiles fideles, qui hoc mundo non vtantur, sunt qui vtantur, tanquam nō vtentes, vt ab Apostolo dicitur, quod illis temporibus iam probatum est, quibus ad idolorum cultum Christiani cogebantur. Quot enim tunc pecuniosi homines, quot patres famili-

familiâs rusticani, quot negotiatores, quot militares, quot primates vrbium suarum, quot denique senatores, vtriusq; sexus hæc omnia vana & temporalia relinquentes, quibus vtique quamuis vterentur non detinebantur, mortem pro salubri fide ac religione subierunt, demonstraueruntq; infidelibus, à se potius illa omnia, quám se ab eis esse possessos.

Retorsio. Quod si autem omnino placet Aristarchi, hanc aleam subire, vestramque causam periclitari grauius, videte ne proprio gladio iugulemini. Neque enim immemores estis, *Aedib. in propriis, quæ praua aut recta gerãtur.*

Ac primùm si ἀταξίαν vestrarum Synagogarum inspiciamus, numquid non rei estis eius, quod apud Tertullianum de præscriptionibus annotatum est, cap. 41. *Non omittam ipsius etiam conuersationis hæreticæ descriptionem, quàm futilis, quam terrena, quam humana sit, sine grauitate, sine auctoritate, sine disciplina, vt fidei suæ congruens. Inprimis quis Catechumenus, quis fidelis, incertum est, pariter adeunt, pariter audiunt, pariter orant. Etiã Ethnici si superuenerint sanctum canibus & porcis margaritas, licet non veras, iactabunt: simplicitatem volunt esse prostrationem disciplinæ, cuius penes nos curam lenocinium vocant. Pacem quoque passim cum omnibus miscent, nihil enim interest illis licet diuersa tractantibus, dum ad vnius veritatis expugnationem conspirent. Omnes tument, omnes scientiam pollicentur. Ante sunt perfecti Catechumeni, quàm edocti.*

edocti. Ipsæ mulieres hereticæ quàm procaces, quæ audeant docere, contendere exorcismos agere, curationes repromittere forsitan & tinguere? ordinationes eorum temerariæ, leues, inconstantes: nunc neophytos collocant, nunc sæculo obstrictos, nunc apostatas nostros, vt gloria eius obligent, quia veritate non possunt. Nusquam facilius proficitur, quam in castris rebellium, vbi ipsum esse illic promereri est. Itaq; alius hodie Episcopus, cras alius: hodie diaconus, qui cras lector: hodie presbyter, qui cras laicus. Nam & laicis sacerdotalia munera iniungunt. Et cap. 42. *De verbi autem administratione quid dicam, cùm hoc sit negocium illis, non Ethnicos conuertendi, sed nostros euertendi, hanc magis gloriam captant, si stantibus ruinam, non si iacentibus eleuationem operentur: quoniam & ipsum opus eorum non de suo proprio ædificio venit, sed de Veritatis destructione: Nostra suffodiunt, vt sua ædificent.*

Et paulò post: *Mentior si non etiam à regulis suis variant inter se, dum vnusquisq; proinde suo arbitrio modulatur, quæ accepit, quemadmodum de suo arbitrio ea composuit ille, qui tradidit. Agnoscit naturam suam, & originis suæ morem profectus rei. Idem licuit Valentinianis, quod Valentino. Idem Marcionitis, quod Marcioni, de arbitrio suo fidem innouare. Deniq; penitus inspectæ hæreses omnes in multis auctoribus suis dissentientes deprehenduntur. Pleriq; nec Ecclesias habent, sine matre, sine sede, orbæ fide extorres, quasi sibi, latè vagantur.*

Iam politicam conuersationem quod attinet, etsi experientia plus satis docet, quantis plerique virtutibus fulgeant, quàm crassis, & manifestis turpitudinibus populus sit delibutus, quanta magistri & præsules, exemplaria scilicet gregis, ambitione, æmulatione, superbia & inuidia diuexentur, vt cum nullo vsquam homine in fidam se coalescere amicitiam posse ipsi conquerantur: tamen ne videar maledicentia delectari, & homines magis quam vitia odisse, presso gutture meo apponam, quæ ipsi ornamenta asseclis suis asscribunt.

Erasmus ad Fratres inferioris Germaniæ scribit, *Lutheranos auditores sic à suis concionibus domum redire feros, arrogantes & audaces, ac si non ab Ecclesia Christiani, sed à prælio milites reuerterentur.*

Lutherus postilla domestica Ienensi, anno 59. Conc. 2. Dom. 1. aduent. *Mundus*, inquit, *indies ex hac doctrina peior fit. Homines vno antea, nunc septem diabolis obsidentur, Diabolus nunc plena cohorte homines inuadit, vt sub clara Euangelii luce multò sint, quam antea sub Papatu, auariores, astutiores, fraudulentiores, crudeliores, libidinosiores, procaciores ac peiores.*

Similia habet Tom. 1. fol. 289. in 5. cap. Galat. Tom. 2. fol. 471. adhortatione ad preces contra Turcam. Tomo 3. fol. 351. in Psal. 51. & folio 529. præfat. in psal. 3. Tomo 4. folio 62. in caput 6. Matthæi, Tomo sexto, folio

lio 57. in explicatio. secundi præcepti. Tomo octauo folio 304. Explicatione in Hoseam, & folio 350. in Ioelem.

Paria & maiora etiam habet Caluinus in Epistol. ad Ephes. serm. 10. & 30. Andreas Musculus libro de Prophetia Christi. Iacobus Andreæ Concione 4. planet. folio 140. 141.

Quid ergo nunc hypocrita festucam vides in oculo fratris tui, trabis autem in oculo tuo obliuisceris? Extrahe prius trabem tuam, deinde manum admoue proximo, an festuca eum liberare queas. O quam facilè poteramus conuenire, nisi odiorum acerbitates vtrinque tam latè animos dispescerent? *Matth. 7. v. 3. & seq.*

Vnica restat querela, quam Romanomastyges cum maioribus suis Donatianis ad nauseam vsque repetere, & singulis concionibus odiosissimè exaggerare solent. *Patimur*, inquiunt, *grauissimas vbiuis terrarum à Papistis persecutiones. Infestant nos ferro flammisq; Pontifices, & quos possunt crudelissimè mactant. Martyrologia nostra referta sunt, & procul dubio sumus illi, quos Christus consolatus est dicens, Beati qui persecutionem patiuntur propter iustitiam: quoniam ipsorum est regnum cœlorum.* *Vltima quæ rela de persecutione.* *Matth. 5. 10*

Hanc ad querelam sedandam, etsi multa dici poterant, vereque ostendi, communem omnium hæreticorum hanc aduersus Catholicos criminationem fuisse, Donatistarum, Nouatianorum, Bogomilum, Messalia-

norum, qui etiam propter crebritatem ſupplicioruin Martyriani vocati ſunt: Inprimis verò circumcelliorum, quos S. Hieronymus eruditè *Martyres ſtultæ Philoſophiæ nominat*: Etſi etiam liquido argumento demonſtrare poteram, non inferre hodie Eccleſiam perſecutiones iſtis, ſed perferre potius ac pati ab iſtis: qui paſſim bona eius diripuerunt, templa diruerunt, monaſteria ſolo æquarũt, aut in haras & ſtabula conuerterunt, multa hominũ millia in Galliis, Germania, Belgio, ſeditioſo mucrone peremerunt, in Anglia non tantùm exules multos, ſed plurimos quoq; martyres doctos & indoctos, nobiles & plebeios, principes & ſubditos, Reginam quoq; nobiliſſimam, quod publicis ſcriptis annotatum eſt, fecerunt: tamen ne odioſis exemplis pugnare, & ſtomachũ cuiquã mouere velle videar, miſſis iſtis ius inquiramus: an quod facit Catholica Eccleſia in plectendis hæreticis, vel diſciplinæ, vel tutelæ, vel correctionis cauſa, rectè facere putanda ſit. Quam quæſtionem niſi ſolidiſſimè ab Auguſtino iam olim contra murmuratores tractatam ſcirem, maiori hic conatu explicare aggrederer. Sed miror inprimis in dubium venire poſſe apud eos, qui eandem & legib. & exemplis abundantiſſimè confirmarunt. Quis enim leges Anglicanas neſcit, ſanguine ſcriptas? Quis Bezæ librum non vidit? quis Serueti, quis Valentini Gentilis, aliorumq; ſupplicia non audiuit? Tempus me defice-

deficeret, ſi equuleos omnes Anglicanos etiam in ipſos Catholicos incenſos commemorare vellem. Cùm ergo ipſi ſibi poteſtatem ſumant vindicandi tam in bonos, quàm in malos: cur virgulam cenſoriam Eccleſiæ inuident, neceſſitate præſcriptam, vtilitate ſancitam, multorum ſeculorum vſu confirmatam, diuino deniq; iure permiſſam. Quid enim illud eſt, quod *Pſaltes* ait, 149. Pſalmo. *Exultabunt Sancti in gloria, lætabuntur in cubilibus ſuis. Exultationes Dei in gutture eorum, & gladii ancipites in manibus eorum, ad faciendam vindictam in nationibus, increpationes in populis, ad alligandos reges eorum in compedibus, & nobiles eorum in manicis ferreis, vt faciant in eis iudicium conſcriptum. Gloria hæc eſt omnibus ſanctis eius.*

Ac ſanè ſi leges ſinunt, fures pecuniarum, vel latrones corporum furca ſuſpendere, ne aliis moleſtiã periculumue faceſſere pergant: quid iuris erit in furibus ac latronibus animarum, qui repagula conſcientiarum infringunt, atque ipſi perpetuæ hominum ſaluti violentas manus inferunt? Statuit Dominus iam olim, cùm anguſtioribus terminis circumſcripta eſſet Eccleſia: *Qui ſuperbierit, nolens obedire ſacerdotis imperio, qui eo tempore miniſtrat Domino Deo tuo: ex decreto iudicis morietur homo ille, & auferes malum de Iſraël, cunctuſque populus audiens timebit, vt nullus deinceps intumeſcat ſuperbia.* *Deut. 17*

Augustini sententia de persecutionibus hæreticorum.

Sed nunc ipsum *Augustinum* videamus, elegantissimè hanc causam pertractantem. Epistola 48. ad Vincentium sic scribit: *Donatistæ nimium inquieti sunt, quos per ordinatas a Deo potestates cohiberi atque corrigi mihi non videtur inutile. Nam de multorum iam correctione gaudemus, qui tam veraciter vnitatè Catholicam tenent atque defendunt, & à pristino errore se liberatos esse lætantur, vt eos cum magna gratulatione miremur. Qui tamen nescio qua vi consuetudinis nullo modo mutari in melius cogitarent, nisi hoc terrore perculsi solicitam mentem ad considerationem veritatis intenderent, ne forte si non pro iustitia, sed pro peruersitate & præsumptione eorum, ipsas temporales molestias infructuosa & vana tolerantia paterentur, apud DEVM postea non inuenirent, nisi debitas pœnas impiorum, qui eius tam lenem admonitionem & paterna flagella contempserint.*

Et paulò post. *Si quisquam inimicum suum periculosis febribus phreneticum factum, currere videret in præceps, nonne tunc potius malum pro malo redderet, si eum sic currere permitteret, quàm si corripiendum ligandumque curaret, & tamen tunc ei molestissimus & aduersissimus videretur, quando vtilissimus & misericordissimus extitisset? sed planè salute reparata tantò vberius ei gratias ageret, quantò sibi eum minus pepercisse sensisset. O si possem tibi ostendere ex ipsis Circumcellionibus quàm multos iam Catholicos manifestos habeamus,*

damnan-

damnantes suam pristinam vitam & miserabilem errorem, quo se arbitrabantur pro Ecclesia Dei facere, quicquid inquieta temeritate faciebant: qui tamen ad hanc sanitatem non perducerentur, nisi legum istarum, quæ tibi displicent, vinculis tanquam phrenetici ligarentur, &c.

Idem Epist. 167. ad Festũ. *Si pro errore homines & damnabili dissensione & conuicta modis omnibus falsitate tanta præsumunt, vt eorum salutem requirenti Catholicæ Ecclesiæ tam audacter insidiari minariq; non cessent: quanto magis æquũ est, & oportet eos, qui pacis & vnitatis Christianæ asserunt veritatẽ, omnib. etiam dissimulantibus & confitentib. manifestã, satagere instanter atq; impigrè, non solũ pro eorum munimine, qui iam Catholici sunt, verùm etiã pro eorum correctione, qui nondũ sunt? Nam si pertinacia insuperabiles vires habere conatur, quantas debet habere cõstantia, quæ in eo bono, quod perseueranter atq; infatigabiliter agit, & Deo placere se nouit, & procul dubio non potest hominibus prudentibus displicere. Quid autem infelicius atq; peruersius, sicut Donatistæ faciũt, qui se persecutionem perpeti gloriantur, quàm de coërcitione iniquitatis suæ non solùm nescire confundi, sed etiam velle laudari, ignorantes cæcitate mirabili, vel animositate damnabili se scire dissimulantes, quod Martyres veros non faciat pœna, sed causa, &c,*

Idem lib. 1. contra Epist. Parmen. cap. 8. *Quin etiam audet conqueri Parmenianus, quod*

eos Constantinus ad campum, id est, ad supplicium duci iussit: qui victi apud Ecclesiasticos Iudices nec apud ipsum quæ dicebant probare potuerunt, & adhuc in sancta Ecclesia præcisione sacrilego furore ferebantur, &c. Quid enim non isti iustè patiuntur, cùm ex altissimo Dei præsidentis, & ad cauendum ignem æternum flagellis talibus admonetis iudicio patiuntur, & merito criminum, & ordine potestatum? prius enim probent se non esse hæreticos, vel schismaticos, tum demũ de indignes pœnis suis liuidam emittant vocem, tum demum sese audeant, cùm mali aliquid patiuntur, veritatis martyres dicere. Alioqui si quisquis ab Imperatore, vel à Iudicibus ab eo missis pœnas luit, continuò martyr est, omnes carceres martyribus pleni sunt, omnes catenæ iudiciariæ martyres trahunt, in omnibus metallis martyres ærumnosi sunt, in omnes insulas martyres deportantur, in omnib. pœnalibus locis iuridico gladio martyres feriũtur ad omnes bestias martyres surriguntur, aut iussionibus iudicum viui ignibus concremantur.

NB.

Et paulò post. *Et tamen quid tale isti patiuntur, quale faciunt, nisi quia hominum multitudo non in corde cor habet, sed in oculis. Nam si sanguis exit de carne mortali, quisquis aspicit exhorrescit, si pro hac pace Christi præcisæ anima atque separatæ in hæresis vel schismatis sacrilegio moriuntur, quia non videtur, non plangitur, imò verò mors tetrior atq; luctuosior, & vt planè dixerim, verior, iure consuetudinis deridetur: cùm authores tantarum mortium publicè*

licè insultãt, & nec veritatis manifestandæ causa sermonem nobiscum conferre dignantur, &c.

Ibidem cap. 9. *Non ergo quisquis in aliqua religionis quæstione fuerit ab imperatore punitus, martyr efficitur. Neque enim vident, qui talia sentiunt, in eum locum se progredi, vt ipsos etiam dæmones martyrum sibi gloriam vendicare posse contendant: quia istam patiuntur persecutionem per Imperatores Christianos, vt penè toto orbe terrarum eorum templa euertantur, idola comminuantur, sacrificia subtrahantur, qui eos honorant, si deprehensi fuerint, puniantur. Quod si dementissimum est dicere, non ergo ex passione certa iustitia, sed ex iustitia passio gloriosa est. Ideoq́ Dominus, ne quisquam in hac re nebulas offenderet imperitis, & in suorum damnatione meritorum laudem quæreret martyrum, non generaliter ait: Beati qui persecutionem patiuntur: sed addidit magnã differentiam, qua vera à sacrilegio pietas secernatur. Ait enim, Beati qui persecutionem patiuntur propter iustitiam. Nullo modo autem propter iustitiam, qui Christi Ecclesiã diuiserunt, & cum ea quasi simulata iustitia conantur ante tempus à palea separari, ac frumenta eius falsis criminationibus insectantur, dum ipsi ab ea potius tanquam leuissima palea variis rumorum flatibus separati sunt.*

Plura vide apud S. Cyprianum de Vnitate Ecclesiæ ob-

Sic epistola 171. contra Donatistas. *Si propterea iusti estis, quia persecutionẽ per Imperatores passi estis: Iustiores vobis sunt isti Maximianistæ*

lectione 2. Et apud S. August. de Unit. Ecclesiæ cap. 12.

mianistæ, quos per indices ab Imperatoribus Catholicis missos vos ipsi persecuti estis.

Sed quid opus plura coaceruare? modus sit, ne videamur sanguinolenti, & vitæ sitientes imperitorum, quos benè instructos & Catholicos optaremus. O vtinam Christe misericordia fiat ouiculis tuis, quæ sunt foris, & iudiciũ lupis intus, breui purgabitur area tua, atq; ex iis qui longè sunt, fiet grex vnus nobiscum, & pastor vnus, & vnum ouile: Eritq; pax in terris, & gladij in vomeres conuertentur. Neque enim volumus cum zizaniis euelli triticum, vel desperatorum loco haberi simplices, quos vasa electionis facere potest Dominus, qui ex lapidibus excitare filios Abrahæ nouit.

Conclusio totius Apologiæ.

Tandem ergo, vt finem faciamus Apologiæ nostræ quid dignum affertis Nouatores pertinacia vestra? quid dignum errore? Nihil habetis, quo vos tegatis, nihil quo muniatis. Separauistis vos à communione orbis terræ, nec tantum crimen vel minima ratione excusatis. Fidem Catholicam impetitis: frustra. Mores carpitis imprudenter, scripturam trahitis, sed contra vos est. Si à vobis, detorta & malè intellecta. Scriptura autem malè intellecta, scriptura non est, sed commentũ vanum, & humanis digitis fictũ idolum, quod qui adorant, sacratissimæ Dei maiestati perfidè iniurii sunt. Quod ne vobis accidat, ita scripturam sequimini, vt gladiũ sensus cõiungatis cum vagina verborũ: sensumq;

ſenſumq́; quærite nõ in tenebricoſis capitibus Tribunorum veſtrorum, ſed in publico & aprico Eccleſiæ Catholicæ campo, quæ ſe ipſo ſatis nomine prodit. Eò enim ſe promiſſione certa & infallibili aſtrinxit Chriſtus, cum ait: *Ego rogabo patrem, & alium paracletum dabit vobis, vt maneat vobiſcum in æternum, ſpiritum veritatis, quem mundus non poteſt accipere, quia non videt eum, nec ſcit eum. Vos autem cognoſcetis eum, quia apud vos manebit, & in vobis erit. Hic docebit vos omnem veritatem. Non enim loquetur à ſemetipſo, ſed quæcunque audiet, loquetur, & quæ ventura ſunt, annunciabit vobis.* Huius Eccleſiæ gremio quid nos dubitabimus condere fratres, quæ ita foſſa valloq; circumdata, & contra erroris procellas, & contra hæreticorum hoſtiumq́; circumlatrantium technas in æternum tuta liberaq; futura eſt. Ah plus quàm ſtultè timidos & ὀλιγοπίστους, qui ſe huic munitioni non credunt, & maternum ſinum Eccleſiæ ad inædificandam ſibi fidem non ferunt: *quorum ſi quis piam quaſi vtilitatem dictorum aſpernatus, extra nutritorias curas ſuperba imbecillitate ſe extenderit, heu cadet miſerè. Domine Deus miſerere, ne impulmem pullum conculcent, qui tranſeunt viam, & mitte Angelum tuum, qui eum reponat in nido, vt viuat donec volet.*

Iohan. 14. v. 13.

Iohan. 16. v. 13.

Auguſt. de Vtilitate credendi cap. 17.

Auguſtin. 12. confeſſ. cap. 17.

S. AVG.



S. AVGVSTINI SENTENTIAE 4. notatu dignissimæ, ex lib. de Fide ad Petrum. cap. 37. 38. 39. 40.

I *Firmißimè tenè & nullatenus dubites, omnem extra Ecclesiam Catholicam baptizatum, participem fieri non posse vitæ æternæ, si ante finem vitæ huius Catholicæ non fuerit redditus atque incorporatus Ecclesiæ. Quia, si habeam, inquit Apostolus, omnem fidem, & nouerim omnia Sacramenta, caritatē autem non habeam, nihil sum. Nam in diebus diluuii neminem legimus extra arcam potuisse saluari.*

II. *Firmißimè tenè & nullatenus dubites, non solum omnes paganos, sed & omnes Iudæos, hæreticos atque schismaticos, qui extra Ecclesiam Catholicam præsentem finiunt vitam, in ignem æternum ituros, qui paratus est Diabolo & Angelis eius.*

III. *Firmissimè tenè, & nullatenus dubites, quemlibet hæreticum siue schismaticum in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti baptizatum, si Ecclesiæ Catholicæ non fuerit ag-*

rit ag-

rit aggregatus, quantascunque eleemòsynas fecerit, etsi pro Christi nomine etiã sanguinẽ fuderit, nullatenus posse saluari. Omni enim homini qui Ecclesiæ Catholicæ non tenet vnitatem, neque baptismus neque eleemosyna, quamlibet copiosa, neque mors pro nomine Christi suscepta, proficere poterit ad salutem, quamdiu in eo hæretica vel schismatica prauitas perseuerat, quæ ducit ad mortem.

IV. *Firmissimè tenè & nullatenus dubites, non omnes qui intra Ecclesiam Catholicam baptizantur, accepturos esse vitam æternam, sed eos qui percepto baptismate rectè viuunt, id est qui abstinuerunt se à vitiis & concupiscentiis carnis. Regnum enim cælorum sicut infideles hæretici atq; schismatici non habebunt, sic Catholici criminosi possidere non poterant.*

Laus Deo Viriginique matri Mariæ.

IVSTI CALVINI VETERA-CASTRENSIS,

DE VNITATE SACROSANCTÆ ROMANÆ ECCLESIÆ omnibus amplectenda,


Epiſtolarum Catholicarum VOLVMEN VNVM.

ACCESSIT


Ex S. Auguſtino Epiſtola 48. ad Vincentium: & Epiſtola 50. ad Bonifacium, de latitudine Eccleſiæ DEI, & moderata coërcitione hæreticorum.

Lactantius libro 4. diuinarum Inſtitutionum. Cap. 30.

Sola Catholica Eccleſia eſt, quæ verum cultum retinet: hic eſt fons veritatis, hoc eſt domicilium fidei, hoc templum DEI, quo ſi quis non intrauerit, vel à quo ſi quis exiuerit, à ſpe vitæ ac ſalutis æternæ alienus eſt, &c.



MOGVNTIÆ,
Typis IOANNIS ALBINI, anno
cIↄ. Iↄ CII.



Beneuolo Lectori S.

Scias lector, in ordine Epistolarum temporis non dignitatis habitam esse rationem, idque non leuiter, sed certis de causis. Quod vt scires, nostra tuaque interesse putauimus. Vale.



EPISTOLA I.

DE FIDEI CATHOLICAE PRINCIPIIS: QVORVM præcipuum eſt verbum DEI.

REVERENDO ET DOCTISSIMO IN CHRISTO PATRI, D. ANdreæ Vermadio Societatis JESV Theologo,

IVSTVS CALVINVS S.



MIRABERIS FORtaſſe quid ſit, reuerende ac doctiſſime Pater, quod ab eo tempore, quo nuper fuimus vnâ, placidamque de fide inter nos συζήτησιν habuimus, ego contra promiſſi fidem litteras tibi mittere intermiſerim. Quod etſi minus rectè factum agnoſco, tamen quia neceſſitate potiùs, quàm negligentia prætermiſſum eſt, ſpero veniam dabis, meque tardius loquentem beni- *Excuſatio ſilentii.*

gnius auidiusq; audies. Primùm autem tibi certum eſſe volo, quod nuper etiam manifeſto argumento proſpicere potuiſti, iam per DEI gratiam, multorumque annorum indefeſſam lectionem ita mihi fidem Catholicam perſuaſam, vt extra eam nullam eccleſiam, nullam ſalutem eſſe, firmiter credam & ſtatuam. Sed quia multa ſæpe incidunt calumniâ quadam, & malitioſa ſcripturarum interpretatione, quæ vel perſpicaciſſimis fucum facere, & tanquam nebulâ veritatis ſerenitatem offuſcare queunt: magnoperè curandum exiſtimo, vt proficiſcentibus ad ciuitatem DEI planum inoffenſumque iter paremus: ne hic vel illic impingentes hæreant, & dubia fide cum poteſtate tenebrarum congrediantur. Qua de cauſa meam ad vos tranſmigrationem neutiquam præcipitandam arbitror: donec indurata melius ad ſolem cornua, conflictum occurſantium hoſtium ferre ac ſuperare poſſint. Interim ſi compendio agitatas hodie controuerſias tractare, & quaſi ruminandas nobis proponere velimus, hac diuiſione, vt puto, commodiſſimè procedemus.

In fidei cauſis prudenter incedẽdum.

Omnis quæ de rebus diuinis cogitatio ſuſcipitur, vel de principiis eſt, vel de iis quæ ex principiis illis extruuntur. Principia voco, rationes & firmamenta, quibus id, quod credendum faciendumue proponitur, verum iuſtumque eſſe demonſtratur. Etſi e-

nim

nim fides est ἀναπόδεικτος, vt pulchrè Nazianzenus alicubi loquitur, & propterea definitur ab Apostolo ἐλπιζομένων ὑπόστασις πραγμάτων, ἔλεγχος οὐ βλεπομένων: δεικτὸς tamen id magis ad demonstrationem διότι quam ὅτι pertinere existimo. *Ignoti enim nulla cupido.* Nec quisquam credo inficias ibit, vel generalem saltem rationem veritatis, honestatis & rectitudinis, fidei obedientiæque veræ substratam esse oportere. Quare enim hoc vel illud credam, quod credendum Ecclesiæ proponis? quia verum certumque id esse vel ratio sana, vel diuina patefactio docet. Quare hoc vel illud faciam, quod adeò seuerè mandas & iniungis? Quia iustum bonumque esse iterum vel naturæ instinctus, vel iussum diuinum ostendit. Hactenus sanè rationem procedere nemo sanus negarit. At si iam rationis istius, id est mandati aut patefactionis diuinæ (quam quidem talem esse constat:) rationem poscas, ibi mentem subsistere, seque in obedientiam fidei subiugatis sensibus submittere oportere, libens agnosco & fateor. Neque enim rationibus nobiscum DEVS agit, sed legibus. *At legem breuem esse oportet, quæ iubeat non disputet*, inquit rectè Seneca. Et Augustinus. *Non intelligendi viuacitas, sed credendi simplicitas tutissimos facit.*

Nazianz. *Fides ἀναπόδεικτος.* *quatenus.* *Heb.11. v.1.* *Seneca.* *S.Aug Epistola 95.*

Cæterum principia illa fidei & morum genera-

Principia fidei duplicia.

Naturalia. generaliſſima diuiſione vel naturalia ſunt, vel ſupernaturalia. Naturalia appello, quæ vel à natura ipſa arripuimus, hauſimus, expreſſimus, vel ab hominibus animalibus didicimus, legimus, accepimus, adeoque ad quæ partim docti & inſtituti, partim facti & imbuti ſumus. Tametſi enim non ignoramus, vehementer peccato læſam eſſe hominis mentem, *totumq́ Adamum* (vt Concilio etiam Tridentino placuit) *per illam preuaricationis offenſam, ſecundum corpus & animam in deterius commutatum:* palàm tamen eſt, tantum illi naturalis luminis ſupereſſe, vt non ſolum veritates theoricas & mechanicas, quæ in artibus humanis & naturalibus continentur, cognoſcere poſſit, verùm etiam bonum verumque morale, vniuersè conſideratum: vt DEVM eſſe colendum, parentes venerandos, liberos diligendos, &c. Quid enim aliud voluit Apoſtolus ad Rom. 1. cùm ait, τὸ γνωςὸν θεοῦ *etiam gentibus ex mundi ſtructura notum eſſe?* Et ſanè hiſtoriæ ſcriptaque Philoſophorum teſtantur, non vulgarem eos, ſed valdè præclaram & illuſtrem DEI cognitionem habuiſſe: idque non tantùm per manus acceptа traditione Iudæorum, aut peculiari DEI afflatu, ſed plerumque etiam naturalis ingenii ſolertiæque adiumento, Philoſophiæque in primis ductu & auſpicio. Quanquam neque magnum hoc mundi ſpectaculum ab iſtis ſubſidiis eximendum duco.

Seſſ. 5. decret. de peccato originali. Bellar. li. 4. de grat. & lib. arbit. c. 2. Caluinus lib. 2. inſti. c. 2. & li. 2. cap. 2.

Bellar. li 4. de grat. & lib. arbit. c. 2. & lib. 5. ibidem c. 1. 2 & ſequentibus. Ben Aretius in prob. proble. 1 de natura Dei cognitione.

Plato

Plato enim, non immerito *mundum Epistolam vocauit DEI patris ad genus humanum.* *Plato in Tim.* Et Antonius ille Eremita omnibus libris & præceptoribus destitutus, *ipsam naturam creaturarum dixit sibi esse librum perpetuo præsentem, in quo verba DEI relegere, quoties liberet, liceret.* *Histor Tripart lib 8. c 1.* *Antonius Eremita.* De hoc naturalium principiorum genere, quod ad hanc quidem causam attinet, nullam admodum litem esse existimo. fatemur enim vtrique, extra Ecclesiam, & in iis qui nondum sunt diuinitus illuminati, aliquid ea quidem, sed non satis momenti habere, ad conuincendum animum, & de diuinis mysteriis erudiendum. De Christo enim nihil habent, nihil de Euangelio. In Ecclesia verò, vbi animi iam perfectiori doctrina imbuti, pleneque de omnibus ad salutem pertinentibus instructi sunt, illa sublunaria, vel tanquam similitudines fidem illustrant, vel tanquam secundaria & succenturiata argumenta obscurè infirmiterque confirmant. Iam vt ad supernaturalia principia veniam, sunt illa testificationes ipsius verissimi sapientissimique DEI, *qui variis modis locutus patribus in prophetis, nouissimè diebus istis locutus est nobis in filio*, & adhuc loquitur per ministros legitimè vocatos & ordinatos, vt ad consummationem vsque seculi duret ædificatio corporis Christi, omnesque perfecti fiamus eodem sensu & fide, neque sit in nobis ruga erroris, vel macula impietatis. Hi *Superna-turalia.* *Hebr. 1.* *Ephes 4.* *Ephes. 5.*

θεόπνευστοι λόγοι, medicina animorum, ac lucerna pedum noſtrorum, quin & potentia Dei ad ſalutem omni credenti, miſerrimo planè fato noſtro in pomum Eridos hodie commutantur, & tanquam Helena quædam tot annos Catholicos proteſtantesque exercent. Capita autem controuerſiæ, ſi recte memini, nouem hiſce quæſtionibus continentur.

Pſal. 118. Rom. 1.

De Verbo Dei quæſtiones nouem,

1. Vbi patefactiones illæ diuinæ olim hominibus factæ inueniantur: vtrùm in ſolo verbo DEI, quod ſcripturam canonicam appellamus: an verò extra verbum Dei in reuelationibus & ſomniis priuatis: an denique partim verbo DEI, partim extra illud in traditionibus non ſcriptis, quas propterea pari pietatis affectu cum ſcripturis ſuſcipi neceſſe ſit.

2. An illæ patefactiones diuinæ, ſiue in ſcripturas ſiue in traditiones relatæ, fideliter ab authoribus conſignatæ, & à poſteris incorruptæ ſeruatæ ſint, ita vt à nobis certam fidem autoritatemque mereantur. Quod partim contra veteres hæreſiarchas, Simonianos, Baſilidianos, Marcionitas &c. partim etiam contra Iudæos, Mahumetiſtas, & Libertinos diſpiciendum eſt.

3. Quinam ſint illi libri à DEO inſpirati, & à Prophetis & Apoſtolis conſignati, quo indicio cognoſcantur, & ab aliis profanis vel Apocryphis diſcernantur: ſuane aliqua propria nota & indicio omnibus conſpi-

cuo;

cuo,an verò Ecclesiæ tantum discretione & iudicatu.

4. In quorum potestate istorum librorum verè sacrorum & Canonicorum lectio sit, aliquorumne perfectiorum tantum, an verò omnium promiscuè Christianorum.

5. Si omnium; qua lingua tum publice & priuatim legi, tum etiam in quam scripturæ transferri possint & debeant.

6. An scripturarum qualescunque versiones parem cum authentica lingua authoritatem habeant.

7. An istorum librorum sacrorum stylus ita perspicuus, & dilucidus sit, vt à quouis non tantum legi, verum etiam rectè intelligi,& ad controuersiarum diiudicationem securè applicari possint.

8. Si alicubi obscura, ambigua, flexiloqua diuina pronunciata videantur, vnde interpretatio eorum petenda: vtrum ex ipsa scriptura, aliorum locorum facta collatione, an verò aliunde ab aliquo iudice & interprete spirituali.

9. An interpretationes & decreta Pontificum & conciliorum sint certum principium Theologicum, cui tutò fides committi possit & debeat.

Hisce nouem quæstionibus,reuerende ac doctissime Pater,omnia contineri existimo, quæ à Theologis in hac materia controuerti nunc solent.Si quid præterea est,quod in disceptationẽ veniat,velim moneri à te, & de *Petitio.*

his breuiter inſtrui, vt quid Catholicæ fidei aſſeclam tenere neceſſe ſit, tuo quoq; ſuffragio cognoſcam. Multum eſt conſenſum videre piorum, & à diuerſis idem doceri, non poſtremum eſt veræ prædicationis argumentum. Vale 21. Maii, Anno 1600.

EPISTOLA II.

RESPONSIO AD PRÆCEDENTEM EPIſtolam, qua nouem de verbo DEI quæſtiones ſoluuntur.

ANDREAS VERMADIVS, Societatis IESV Theologus.

IVSTO CALVINO, S. D.

MIRABAR ſanè, quod ſcribis, ſilentium tuum, mi Iuſte, tam diuturnum præſertim tamque pertinax. Sed abundè ſatis feciſti proximis literis tuis, quibus conceptam nobis ſpem de te magis magisque confirmaſti: tantoque nos in CHRISTO affeciſti gaudio, vt non poſſimus non plurimum gratulari tibi & nobis, de tam excelſo animo veritatis amante, & auido cognitionis rerum ad æternam ſalutem ſpectantium; quarum fundamenta

menta sunt quæstiones IX. de patefactionibus diuinis propositæ. Quas etsi sufficienter Bellarminus noster explicauit, tamen quia meam etiam sententiam requiris, ne amici videar deesse officio, breuiter animi sensa aperiam, & quid hæreticis ista proponentibus respondendum putem, monebo,

QVAESTIO I.

Vbi patefactiones diuinæ inueniantur.

Quàm impiè de ea sentiant Schvvenckfeldiani ac Fanatici, in vulgus notũ est. Profiteor autem ego cum Ecclesia Catholica, patefactiones illas, quibus DEVS notitiam mentis suæ verissimam hominibus manifestat, verbo DEI, quâ scripto, quâ tradito, cõtineri; nec video quo solo fundari protestantes hanc sententiam negare ausint verbis, quam reipsa & facto veritati consonam testantur. Credunt vna mecum libros veteris & noui testamenti verè diuinos, quod sanè ex scriptura nullo modo, ex traditione autem sola constare potest. Nam vt rectè ait Bellarminus, libros Prophetarum & Apostolorum, etiamsi scriptura dicat esse diuinos, huic tamen infallibilem adhibere non possumus fidem, nisi prius crediderimus, scripturam quæ hoc affirmat, diuinam esse. Credunt vna mecum Euangelia Marci & Lucæ esse vera, Euangelia Thomæ & Bartholo-

Verbum Dei scriptũ & non scriptum

1. Traditiones probare coguntur ipsi aduersarii. Confer Tertull: de præs. cap. 23.

tholomei esse falsa, cùm ratio potius dictet, magis credendum libro præferenti titulum Apostoli, quàm non Apostoli. Hæc autem fides ex scripturis haberi non potest, sed ex
3. traditione constat. Credunt vnà mecum, quod distinctio diuinarum personarũ sit per relationes, quod pater sit ingenitus, filius à patre genitus, Spiritus sanctus à filio patreq; procedens; Sed nullam Dei patefactionem in sacris scripturis expressam reperimus, quę hunc fidei articulum disertis verbis eloquatur, sed illæ quæ quasi per manus traditæ à CHRISTO & Apostolis continua successione
4. ad nos vsque peruenerunt. Credunt vnâ mecum, paruulos ante rationis vsum vtiliter baptismatis Sacramento initiari, cùm tamen illud dogma non habeat in scripturis certa & manifesta diuinæ reuelationis testimonia.

S Augustinus de pœdo baptismo.

Scio D. Augustinum ad illud confirmandum allegoriam circumcisionis proferre, & alios alia; ex quibus tamen non firmam & solidam probationem desumi posse affirmat, sed tantum probabilem coniecturam. D. Augustini verba hæc sunt, l. 4. contra Donatistas, capite 23. *Traditum tenet vniuersitas ecclesiæ, quod paruuli infantes baptizantur, qui corde nondum possunt credere ad iustitiam, & ore cõfiteri ad salutem. Etsi quisquam in hac re auctoritatem diuinam quærat, quanquam quod vniuersa tenet ecclesia, nec conciliis institutum, sed semper retentum est, non nisi auctoritate Apostolica traditum rectissimè creditur: tamen veraciter*

veraciter coniicere possumus ex circumcisione carnis, quam prior populus accepit. Dum addit (*veraciter coniicere possumus*) nihil aliud insinuat, quā firmam hanc rationem non esse, sed probabilem coniecturam; robur autem suum hoc dogma ex tradita patefactione diuina adipisci. Cùm igitur hæc & similia fide teneant nobiscum, & tenenda prædicent: nihilq; credendū censeant & meritò, nisi quod DEVS reuelauit, ac patefecit, aueo cognoscere, quo fundamento nixi, traditum DEI verbum tollant, quod reipsa ponunt.

QVÆSTIO II.

An illæ patefactiones diuinæ fideliter ab auctoribus consignatæ, & à posteris incorruptæ seruatæ sint, ita vt à nobis certam fidem authoritatemque mereantur.

Ingenuè confitentur & docent, docueruntque & confessi sunt semper omnes Catholici; auctores à quibus diuinæ patefactiones consignatæ sunt, eam dignitatem, reuerentiam, authoritatem & fidem mereri, vt de eorum fidelitate dubitari disceptariue à nemine possit, multisq; rationibus falsitatis arguuntur Iudæi & Mahumetani, qui cæca infidelitatis caligine immersi, claram veritatis lucem, in dubium vocant. *Auctoritas S. Literarū totiusq; religionis, infallibilis.*

Prima ducitur ab eorum conditione & aucto- RATIO I.

auctoritate,qui fidem Christianam olim receperunt,qua vtitur LACTANTIVS, lib. 5. diuin. institut.cap.13.& S. AVGVSTINVS,lib.1.de vtilitate credendi,cap.14.

Secunda ducitur à constantia Martyrum, qua IVSTINVS Apologia 1. ad senatum Romanum testatur; se maximè fuisse motum ad fidem:& ea etiam vtitur LACTANTIVS lib.5.institut. diuin. cap.13.& 14.

Tertia ratio ducitur à mirifica mutatione animi eorum, qui fidem Christianam suscipiunt & colunt: qua vsi sunt S. IVSTINVS Apolo.2. pro Christianis ad Antoninum pium Imper. TERTVLLIANVS lib. ad Scapulam. LACTANTIVS lib.3. diuin.institut.cap.26.

Quarta ducitur à modo, quo olim fuit propugnata. Hac vtitur IVSTINVS Martyr. Apolog.2. ad Antoninum pium. CHRYSOSTOMVS homilia 34.in Matth.homilia 4. & 5. in priorem ad Corinth. D. AVGVSTINVS lib. 22.de ciuitate DEI cap.5.DAMASCENVS lib.4. Orthodoxæ fidei cap. 4.

Quinta à miraculis,quæ vel ob eam rem maximè, quasi antonomasticôs nominari solent signa,quia cumprimis significant atq; declarant,eam doctrinam diuinitus probari, atque adeò veram esse,cuius ad confirmationem edantur.Hac vsus est D. CHRYSOSTOMVS,hom.3.in secund.ad Corinth. D. AVGVSTINVS,lib.22.de ciuitat. Dei cap. 8.& libro de vtilitate credēdi cap.16.plures aliæ adduci possunt,desumptæ ab eorum testimonio; qui

qui fidem noſtram non recéperunt, ab eorum cladibus, qui eam oppugnarunt; à Propheticis prædictionibus, á ſanctitate & rectitudine doctrinæ, & ſimilibus. Ex quibus manifeſtum fit, patefactiones illas à nobis indubitatam fidem mereri, & cæcos eſſe Iudæos ac Mahumetanos, qui tam manifeſtam veritatis lucem non ſentiunt.

QVAESTIO III.

Quinam ſint illi libri à DEO inſpirati, & à Prophetis & Apoſtolis conſignati, quoue iudicio diſcernantur à profanis.

Hæc quæſtio, cum duarum ſit partium, geminam reſponſionem poſtulat. Ad priorem partem, qua quæritur, quinam ſint Canonici, reſpondeo cum œcumenica ac generali Tridentina ſynodo, ſeſſione quarta: quam ipſe domi priuatim legere potes. Ad poſteriorem, qua quæritur, quo iudicio diſtinguantur Canonici ab Apochryphis: profiteor contra CALVINVM, cum Eccleſia Catholica: iudicio priuati ſpiritus, vel internæ teſtificationis, non poſſe diſcerni, ſed Eccleſiæ iudicio & authoritate: nec illius ſolùm Eccleſiæ, quæ temporibus Apoſtolorum fuit, vt LVTHERVS opinatus eſt; ſed etiam illius, quæ Apoſtolos ſecuta eſt. Stat enim D. Pauli ſententia, Eccleſiam eſſe columnam & firmamentum veritatis.

Canon ſcriptura.

Canonicorum diſtinctio ab Apocryphis

1. Tim. 3. Verſ. 15.

QVÆ-

QVÆSTIO IV.

Quorum ſit legere, &c.

Scriptura à quibus legenda.

Reſpondeo duplex eſſe genus hominum Chriſtianorum, alterum quod præiudicato iam errore occupatum, eo ſua legendæ ſcripturæ ſtudia refert, vt erroris, quo imbutum eſt, fulcimenta corradat, & non tam ex communi Eccleſiæ conſenſu, quàm ſuopte iudicio per affectum corrupto ſententiam ſibi ſcripturæ confingat. Alterum verò quod mente ſincera ac humili plus Eccleſiæ quàm proprio iudicio confidens, eò ſedula lectione progreditur, vt ſignatam ante à patribus ſcripturæ ſententiam firmiter inſiſtat; atque hoc ipſum eſſe genus hominum dicimus, quod ſecurè ſimul ac vtiliter ſacram paginam poteſt euoluere. Primùm verò minimè, cùm ſanam ſibi conficere medicinam inſani miniſterio iudicii non minus queat, quàm ſi imperitum vulgus ex bene inſtructa Apotheca ſorbitiunculam contra omnis generis morbos conficere præſumeret.

QVÆSTIO V.

De idiomate, &c.

Quo idiomate ſcriptura legenda.

Qua lingua ſacræ reddi debeant literæ ac peruulgari, ſi ex proteſtantium principio reſpondere quis velit, dicat neceſſum eſt, non alia

alia, quàm qua primum fuerunt conscriptæ. Quod enim verti debeāt in aliam, nusquam præceptum legimus. Nihil autem faciendum à quoquam illi contendunt, quod scriptura sacra non præcipiatur. At vero secundum Catholicorum sententiam haud grauatè conceditur, vt eò, quo supra diximus modo, ab omnibus lingua patria legantur.

QVAESTIO VI.

De versionibus, &c.

Scripturę versiones qualescunque nullus probauerit Catholicorum, nisi quas Ecclesiæ authoritas comprobauerit, cuius est decernere, conueniatne patria versio cum authentica, an discrepet. *Versiones scriptura varia.*

QVAEST. VII. VIII. IX.

De interpretatione & intellectu, &c.

Scripturam non omnibus intellectu facilem, doctorum studia & concertationes patefaciunt, ideo quę obscura & ambigua sunt, si facta aliorum locorum collatione explicari possunt, rectè quidem: sin minus ad Ecclesiam summumque pastorem referentur. Illorum enim iudicio standum nascentis Ecclesiæ praxis docuit. *Scriptura difficultas Ecclesiæ interpretatione tollitur.*

Hæc sunt, quæ ad quæstiones nouem in

tanta temporis angustia & laborum distractione, qui per infirmitatem concionatoris nostri mihi impositi sunt, respondere licuit, quæq; aduersariis ista perquirentibus rectè responderi posse puto. Si quid præterea est, priuato studio facilè inuestigabis. Nostræ epistolæ modus plura ferre recusauit. Vale 29. Iunii, Anno 1600.

EPISTOLA III.

DE SANCTITATE MORVM ECCLESIAE.

ORNATISSIMO VIRO, D. Gregorio Renato, &c.

IVSTVS CALVINVS S.

QVONIAM inter iudicia doctrinarum Ecclesiæ non postremum locum fructus obtinent: dicente Domino Matth. 7. *Cauete vobis à Pseudoprophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ouium, sed intrinsecus sunt lupi rapaces: à fructibus eorum agnoscetis eos:* at verò fructus duabus radicibus innituntur: alii doctrinę ipsius sanæ aut corruptę: alii liberæ hominum voluntatis, etiam præter doctrinæ genium sese efferentis & luxuri-

antis: ſanè multo ex me iure quæris, Gregori dilectiſſime, vtri hic fructus intelligédi: & ſi hi vel illi, vtrum in veteri magis quàm noua Eccleſia reperiantur.

Fructus non est ipſa doctrina.

De primo quod attinet, ſunt ſane, qui longiſſimè à ſcopo aberrãtes, fructus ipſam doctrinam interpretantur, quaſi dominus eos doctores definiat veros, qui veram, falſos qui falſam doctrinam profiteantur: Quod ſanè parum præſenti loco commodum eſt, cum nil niſi inanem circulum, & vt logici loquũtur αἴτημα τοῦ ἐξ ἀρχῆς efficiat. Etenim ipſa prophetarum doctrina hic in quæſtionem venit, & certo ſigno agnoſcenda ponitur. Nihil autem ſui ipſius index eſſe poteſt; ſed alio & quidem manifeſtiori ſigno indiget: qualis puritas doctrinæ non eſt, ſed fructus pœnitentiæ, & conſtans conſpicuaq; virtutum omnium cultura: quæ in ſenſus hominum incurrit.

Deinde, fructus per quos falſa doctrina à vera, ac falſi doctores à veris diſtingui debẽt, ſimiles ſunt ficubus ac vuis, ℣.16. At doctrina non habet rationem ficuum vel vuarũ, ſed ſtipitis potius ac radicis, vnde fructus enaſcuntur, cùm doctrina efficax ſit per opera, non viciſſim opera per doctrinam. Quomodo ergo fructus doctrina interpretandi erunt?

Fructus ſunt opera ex ipſo quaſi genio doctrinæ promanantia.

Poſtremò, Dominus ipſe hos fructus de externis & viſibilibus operibus interpretatur, ℣.21. cum ait: *Non quiſquis dicit mihi do-*

mine domine, intrabit in regnum cœlorum, sed qui facit voluntatem patris mei. Et ℣. 23. *discedite à me omnes qui operamini iniquitatem.* Et ℣. 24. *quisquis audiet sermones & eos præstat, hunc aßimilabo viro sapienti.* omnium verò apertissimè, ℣. 17. 18. vbi sic argumentatur. Quemadmodum se habent fructus ad arborem, sic opera se habent ad doctorem vel doctrinam, Atqui fructus mali, malam & acerbam arborem, fructus boni bonam & dulcem arborem arguunt, quapropter etiam bona opera bonum doctorem & doctrinam, mala opera falsum doctorem & impuram doctrinam arguunt.

Occupatio. Opera non quauis, sed doctrinæ affinia intelligenda. Matth. 23.

At inquis, opera illa externa communia sunt vtrisque, & veris & falsis Prophetis: vnde etiam sæpe vestimentis ouium comparantur, quibus se lupi tegunt: & Dominus nolens doctrinam discerni ex opere, cum sæpe mali bona doceant; *Quæ dicunt*, inquit, *Pharisæi & Scribæ, facite, secundum opera verò eorum nolite facere.* Rectè inquam. Ergo iam alterum quoque videamus, cuius radicis opera hic intelligenda sint. Aliqua enim voluntatum ipsarum corruptione fiunt, contra ipsius doctrinæ genium sese efferentium, & conscientiam manifesta vi cōtaminantium. Aliqua ipsius doctrinæ mollitie ita concipiuntur, fouentur & aluntur, vt secundum propheticum illud. *Puluilli quasi consuantur sub omni cubito manus, & ceruicalia substernantur sub capite vniuersæ ætatis ad capiendas animas.*

Ezech. 13. Vers. 18.

animas. De illis, vt certum eſt, hic dominum non loqui: ita de his ſermonem eſſe, manifeſta ratio euincit. Nam quæ doctrina ita afficit homines, vt calore pietatis indies magis magiſq; exardeſcant, & negata impietate totos ſe ſanctimoniæ mancipent, ea procul dubio ſancta, pia & diuina eſt. Quæ verò homines ad languorem trahit, inque ſalute curanda facit remiſſiores, improbæ protinus notæ conuincitur, quemadmodum Dominus ipſe arguit: *Arbor bona bonos fructus fert, mala malos, non poteſt arbor bona malos proferre fructus, nec mala bonos, &c.* *Matth. 7.*

Catholica doctrina bonorum operum fæcunda.

Quod ſi iam ſecundo loco vetus doctrina ad nouam hac lance appendatur, facili indicio ſe vtriuſque genius prodet. Enimvero Catholici cum fide pœnitentiam vrgent, cordis amaritudinem præcipiunt, ieiunia, preces, eleëmoſynas, omniaque corpori dura ac laborioſa iniungunt. Quo fit vt teſte Auguſtino, *Tam multi hoſpitales, tam multi officioſi, multi miſericordes, multi docti, multi caſti, multi ſancti, multi vſque adeo Dei amore flagrantes in Eccleſia reperiantur, vt eos in ſumma continentia atque mundi huius incredibili contemptu ſolitudo delectet. Nam* (quod non minus hodiè quàm olim verum eſt) *quis neſcit ſummæ continentiæ hominum Chriſtianorum multitudinem per totum orbem indies magis magiſque diffundi: quis neſcit eos qui ſecretiſſimi penitus ab omni hominum conſpectu, pane ſolo, qui eis per certa interualla temporum af-*

Auguſt. de moribus Eccleſiæ Catholicæ lib. 1. cap. 30 & 31.

Eremitæ.

fertur, & aqua contenti desertissimas terras incolunt, perfruentes colloquio Dei, cui puris mentibus inhæserunt, & eius pulchritudinis contemplatione beatissimi, quæ nisi sanctorum intellectu percipi non potest. Quis inquàm nescit hos, videntur enim nonnullis res humanas plusquàm oporteret deseruisse, non intelligentibus, quantũ nobis eorũ animus in orationibus prosit, & vita ad exemplum, quorum corpora videre non sinimur. Tantum isti admonendi sunt, qui sese inaniter iactant, in tantum processisse temperantiã & continentiam sanctissimorum Catholicæ fidei Christianorum, vt restringenda nonnullis, & quasi ad humanos fines reuocanda videatur. Vsquè adeò supra homines illorum animos euasisse, ab iis etiam quibus id displicet, iudicatur. Sed si hoc excedit nostram tolerantiam, quis non illos miretur & prædicet, qui contemptis atq; desertis mundi huius illecebris, in communem vitam castissimam sanctissimamq; congregati, simul ætatem agunt, viuentes in orationibus, in lectionibus, in disputationibus: nulla superbia tumidi, nulla peruicacia turbulenti, nulla inuidentia liuidi: sed modesti, verecundi, pacati, concordissimam vitam & intentissimam in Deum, gratissimũ munus ipsi offerunt, à quo ista posse meruerunt. Hæc est etiam vita fœminarum Deo solicitè casteq; seruientium, quæ habitaculis segregatæ ac remotæ à viris quàm longissimè decet, pia tantùm illis charitate iunguntur, & imitatione virtutis: ad quas iuuenum nullus accessus est, neq; ipsorum quamuis grauissimorum

Cœnobitæ.

[...]oniales.

& pr.

& probatissimorum senum, nisi vsque ad vestibulum necessaria præbendi quibus indigent gratia. Lanificio namque corpus exercent atque sustentant, vestesque ipsas fratribus tradunt, ab iis inuicem quod victui opus est resumentes. Hos mores, hanc vitam, hunc ordinem, hoc institutum, si laudare velim, neque dignè valeo, & vereor ne iudicare videar per scipsum tantummodò expositum placere non posse, si super narratoris simplicitatem cothurnum etiam laudatoris addendum putauero.

At verò Euangelici de operibus pœnitentiæ tam contemptim sentiunt, vt illa etiam *ad salutem perniciosa olim censuerint.* Lutherus tomo 7. VVitteb. fol. 130. 131. *bonum opus quantumuis factum benè, peccatum statuit mortale.* Hinc in omnibus suis operibus, maximè tomo 6. VVitteb. fol. 256. animos hominum tantoperè à bonis operibus ad libertatem, vel licentiam potius auocat. Qua ex re tanta passim profanitas consecuta, vt LVTHERVS ipse scribat, Postilla domestica Ienensi anno 59. concione 2. Dominicæ primæ Aduentus: *Mundus indies ex hac doctrina peior fit. Homines vno anteà, nunc 7. Diabolis obsidentur. Diabolus nunc plena cohorte homines inuadit, vt sub clara Euangelii luce multo sint, quàm anteà sub Papatu, auariores, astutiores, fraudulentiores, crudeliores, libidinosiores, procaciores ac peiores.*

Antithesis doctrinæ hæretic. quæ frena laxat cupiditatibus.

Georgius Maior in libro huius tituli.

Lutherus.

Alii etsi opera quidem laudant, fideique quo ad præsentiam adiungunt, quo ad effectum tamen gratiæ & remunerationis tollunt, & grauissimis etiam sceleribus vnicæ fiduciæ præsidio impunitatem spõdent. Quâ ex re quid aliud sequi potest, quam acerbi, & insipidi fructus impietatis? quemadmodum præclarissimè quondam Sadoletus Cardinalis exhortatione ad principes populosque Germaniæ scripsit. *Hac voce (sola in Deum fide homines effici iustos, ad iustitiam in nobis conficiendam bona opera nil referre) per populos promulgata, authoribusq; auditis: quis non intelligat, maximos motus animorum, id quod factum est, necessariò fuisse concitandos? cum enim credere in Deum facile sit: difficile autem cupiditates suas temperare: nemo paulo mobilior atque imperitior esse potuit, qui non exiguo illo credendi negotio, liberam suis cupiditatibus inseruiendi facultatem redimere sibi vellet.* Quapropter etsi interdum videas nonnullos de pietate gnauiter differentes, tamen similes putato Græcis illis, quos *Anacharsis numismate tantùm ad numerandum vti dicebat:* vel similes philosophis, quos *Diogenes pro bona valetudine sacrificantes in ipso sacro epulis ingurgitari querebatur.*

Pagina 69.

Plutarchus in lib. de perfect. morum.

Laër lib. 1. de Vitis Philosoph.


An cum fide, necessario opera cohæreant.

At inquis, fieri non potest, vt qui Christo per fidem insiti sunt, fructus non proferant gratitudinis, fidesque adeo ab operibus indiuulsa manet. Hoc quam verũ sit, docet Apostolus, 1. Cor. 13. *Si habuero omnem fidem, ita vt*

vt montes transferam, caritatem autem non habuero, nihil ſum. Et Iacob. cap. 2. *Quid proderit fratres mei. ſi fidem quis dicat ſe habere, opera autem non habeat? nunquid poterit fides ſaluare illum?* Tandem Auguſt. de Trinit. cap. 18. *Fides ſine charitate poteſt quidem eſſe, ſed non & prodeſſe*, & Tractat. 10. in Epiſtolam Ioannis. *Iam credit aliquis in Chriſto, ſed odit Chriſtum, habet confeſsionem fidei in timore pœnæ, non in amore coronæ: adde huic fidei dilectionem, vt fiat fides, qualem* Gal. 5. *dicit Apoſtolus Paulus, fides quæ per dilectionem operatur.*

Deinde ſi neceſſario fidem ſequuntur o- Vbi ſupra pera (addit idem Sadoletus) *quid attinuit ab* pag. 75. *ea iuſtitia, quæ per fidem imprimitur, opera bona ſeiungere? Cum ea ita complexa & cognata ipſa cum fide ſint, vt ſimul cum ea adſint, & ſimul cum ea iuſtificent, tanquam ad rationem fidei ſubſtantiamque pertinentia. Quod enim ſtare per ſe ſine altero non poteſt, habet illud certè quo ſine non poteſt eſſe, ad naturam* Occupatio. *ſuam penitus adiunctum:* Nec tamen diffiteor, debere quidem, atque in multis etiam fidem opera ſubſequi. Nam ſi Euangelium potens eſt ad ſalutem, potens quoque eſſe debet ad pietatem, ſine qua ſalus nulli obtingere poteſt. Ideo Apoſtolus ad Galat. 5. talem in Chriſtiano fidem deſiderat, *quæ per dilectionem ſit efficax.* Et Epheſ. 4. *negat eos Chriſtum rectè percepiſſe, qui in vanitate mentis ſuæ ambulantes, cupiditatibus ſæculi*

De opere & eleemosyna. *indulgent.* Vnde D. Cyprianus. *Qui habet fidei veritatem (inquit) seruat Dei timorem: qui autem Dei timorem seruat, etiam caritatem & misericordiam erga pauperes seruabit.* Lib. 1. hist. Eccl. cap. 5. Et Eusebius Christianum definit, *qui per Christi cognitionem & doctrinam animi moderatione & iustitia, continentiaque vitæ ac pietatis confeßione excellit.* Atque hoc per DEI gratiam ita clarè & abundanter in Catholica fit, vt meritò concludamus cum Augustino. Aug. lib. 1. de moribus, cap. 34. *Istis Manichæi (Euangelici) si potestis obsistite, istos intuemini, istos sine mendacio si audetis, & cum contumelia nominate, istorum ieiuniis vestra ieiunia, castitati castitatem, vestitum vestitui, epulas epulis, modestiam modestiæ, caritatem denique caritati, & quod res maximè postulat, præceptis præcepta conferte. Iam videbitis quid inter ostentationem & seueritatem, inter viam rectam & errorem, inter fidem atque fallaciam, inter robur & tumorem, inter beatitudinem & miseriam, inter vnitatem & conscißionem, postremò quid inter superstitionis sirenas & portum religionis intersit.* Vale, Calendis Augusti 1600.



EPISTO-

EPISTOLA IV.

BEATISSIMO AC SANCTISSIMO IN CHRISTO Patri ac Domino, D. CLEMENTI VIII. Pontifici Maximo, &c. Domino suo Clementissimo.

IVSTVS CALVINVS S.

O Quàm multi sunt, Beatissime Pater, CLEMENS VIII. Pontifex Opt. Max. qui hunc conatum meum extremæ impietatis & perfidię condemnabunt? Quàm multi, qui hæreseos & Apostasias manifestæ? Postquam enim ego, DEI sic ferente imperscrutabili voluntate, in istis locis natus atque educatus sum, quin & multos annos vixi, & munera officiaque gessi; vbi hæretico grassante furore, pulsa veteris fidei soliditate, doctrina noua, atque à consensu totius orbis omnisque antiquitatis aliena, sub specioso Euangelii nomine, cum multarum animarum æterna pernicie in vulgus spargitur ac disseminatur: Nunc autem collustratis diuinitus oculis meis, perspectisque fœdissimis sectariorum erroribus ac furoribus, ad Catholicæ Ecclesię gremium

mium iuuante Domino, nec non ſanctiſſima Beatitudine tua approbante, tranſire toto pectore ſatago: mirum quot probra, quot conuitia, quam acerbas inſectationes ac virulentas proſcriptiones in me vndique iaculaturi ſunt ii, quos ſacrilega obſtinatio, ac furor prauus extra ſalutares hoſce Eccleſiæ carceres detinet. Aſt ego, qui Chriſti militiæ aſſcriptus ſum, cæleſti fortitudine armatus, fideique conſtantia roboratus, nulla tela inimicorum pertimeſcere, multo minus leuiſſima iſta hominum nec de ſua, nec de aliena ſalute rectè ſentientium, iudicia reformidare debeo. Nec fundamenta cauſæ meæ in arena collocata ſunt, ſed in firmiſſima Petra: Petra inquam illa, quæ eſt Chriſtus, cuius gratia vocauit me è tenebris in admirabilem veritatis ſuæ lucem: cuius veritas & conſtantia Cathedram hic fixit in terris, *ad quam perfidia non habet acceſſum: ad quam propter potentiorem principalitatem neceſſe eſt omnem conuenire Eccleſiam: Extra quam qui agnum commedit, prophanus & ſacrilegus eſt.* Cathedram inquam Romanam, in qua olim Petrus ſedit, & in qua nunc Clemens Octauus ſedet, diuina prouidentia Pontifex optimus maximus, Eccleſiæ Chriſti munimentum, terror hæreticorum, lumen ſeductorum.

Cypr. lib. 1. epiſt. 3. Iren. lib. 3. cap 3. Hieron epi. ad Damaſ.

Ab hac tam auguſta ſede, ſi me vel odiorum acerbitas, vel periculorum laruas, vel

ſiniſter-

ſiniſterrimorum iudiciorum ventos abſterrere patiar, non ſolum ſtultè verùm etiam impiè fecero. Quid enim? *An eſſe ſibi cum Chriſto videtur, qui aduerſus ſacerdotes Chriſti facit? qui ſe à cleri eius & plebis ſocietate ſecernit?* Fidenter dicam, *Quiſquis ille eſt, & qualiſcunque eſt, Chriſtianus non eſt, qui in Chriſti Eccleſia non eſt. Iactet ſe licet, & Philoſophiam vel eloquentiam ſuam ſuperbis vocibus prædicet, qui nec fraternam caritatem, nec Eccleſiaſticam vnitatem tenuit, etiam quod prius fuerat, amiſit.*

Cypri. de vnitate Eccleſiæ.

Cypria. epi. 52. ad Anton.

Sed fratres mei quos deſero, audientes talia, rident & ſtomachantur, meque conuitiis omnibus inceſſunt. Inſanis, inquiunt, neque adis Eccleſiam Dei, ſed deſeris. Quid ita inquam? Perſuaſum hoc vobis eſt, ſed malè. Tenebar & ego quondam eodem errore, Romanam Eccleſiam maledictis lacerans, communionemque Dei in ſola Caluini parte remanſiſſe credens: ſed quis hoc euicerat? Calumniæ graues, & atrocia in domum Dei conuicia mentem meam peruerſo iudicio imbuerant. Itaque ſequens illos, qui à corpore Chriſti præciſi properabant ad exitium: *Væ væ quibus gradibus deſcendebam & ipſe in profunda inferi.* Abalienabar à promiſſis Dei, & tetra morte inuolutus pulchrè me viuere exiſtimabam. *Sed tu DEVS longanimis & miſericors oblitum tui, oblitus non es: tu ſecurus mei curam geſſiſti, ac miſeratus ſimplicitatem meam* (neq; enim deſti-

Aug. li. 3. Confeſſ. c. 6

Auguſt. 11. Confeſſ. c. 2

August. 13. Confess. c. 1. & 29. destinata malitia peccabam) *præuenisti me antequam inuocarem te, & instituisti crebrescens multimodis vocibus, perrumpens surditatem, & intonans voce forti in interiorem aurem meam*, vt cognoscerem super eminentem scientiam charitatis CHRISTI, & firmitudinem Ecclesiæ tuæ, quæ supra Petram fundata, vndique circumlatrantibus hæreticis inconcussa staret. Tu demonstrasti mihi seruorum tuorum ministerio, quàm graui crimine alligati furerent, qui rupta vnitate fidei, *vltrò se apud temerarios conuenas, sine diuina dispositione præficerent, qui se præpositos sine vlla ordinationis lege constituerent: qui contemptis Episcopis, & DEI sacerdotibus derelictis, constituere auderent aliud altare, precem alienam illicitis vocibus facere, Dominicæ hostiæ veritatem per falsa sacrificia profanare.* Hoc demonstrasti mihi DEVS meus, & gratias ago. *Noui, confiteor tibi Domine, mecumque nouit & benedicit te, quisquis ingratus non est certæ veritati.*

Cypri. de Vnitate Ecclesiæ.

August. 11. confess. c. 7.

At vos fratres meos plus quam prodigos salutis suæ obtestor, vt deposito paulùm typho deliberationem Christiani hominis mecum suscipiatis, quamque longè à DEO peregrinemini, vel limis saltem oculis aspiciatis. Subducite mecum, an vel vnum veræ Ecclesiæ signum apud vos demonstrare possitis. Certè vnitate destituimini

tuimini, à consensu orbis Christiani præcisi, & in minutissimas sectas miserè dispersi. Sanctitate quanta præstetis publicè notum est. Catholicos nominare vos nec vultis nec potestis, tàm angustis obscuræ alicuius regiunculæ limitibus circumscripti. Iam si Apostolicos vos nominare libet, *Ostendite ordinem Episcoporum vestrorum. Edite origines Ecclesiarum vestrarum, & in ordine illo Patrum, exorsi* à S. Petro ad præsentem vsque Clementem Octauum, *quis cui successerit videte. Certè in eo ordine successionis nullus Donatista Episcopus inuenitur*, nullus Lutheranus, nullus Caluinista. Quid ergo iam amplius aduersum hæc sæuitis? quid studio partium excæcamini? *Venite potius ad Romanam Ecclesiam, vt inseramini in vite: dolor est cum nos videmus præcisos ita iacere. Numerate sacerdotes vel ab ipsa Petri sede, in ordine illo Patrum, quis cui successerit videte: Ipsa est Petra, quam non vincunt superbæ inferorum portæ.* Idque vt mecum intelligatis, deponite ad tempus persuasionem sapientiæ vestræ. *Audite doctos Catholicæ Ecclesiæ viros, tanta pace animi, & eo voto, quo vos ego audiui, nihil opus erit XX. annis, quibus me ludificastis. Longè omninò, longè breuiore tempore quid intersit inter veritatem vanitatemque cernetis.*

Tertull. de præscript.

Aug. epist. 165.

Aug. in Ps. contra partem Donati.

Aug. li. 1. de morib. Cathol. Ecclesiæ cap. 18.

Atque hæc fortasse paulò prolixius sanctissime Pater, commiseratione fratrũ meorum:

rum: quibus consulto exponere volui, quibus ego remediis ad sanitatem adductus essem, vt quæ mihi medicina profuisset, eadem ipsi vtentes conualescerent. Audiui enim ego, pro Augustini consilio, doctos Catholicę Ecclesiæ viros, sanctorum patrum monumenta sedulò euolui, modernorum Theológorum scripta, inprimisque diuini viri Roberti Bellarmini (cui secundum Deum præcipuas conuersionis meæ partes asscribo) enucleatissimas disputationes studiosè legi: Ecclesiæ Græcæ consensum ex Patriarchæ Constantinopolitani in Augustanam Confessionem censura solicitè rimatus sum: coram etiam cum multis sacerdotibus sermones contuli: nihilque adeò prætermisi, quod ad cognoscendas Catholicorum sententias facere videretur. Neque id iniuriâ. *Oportet enim*, vt Cyprianus ait, *non tantùm quid maligni atque apostatæ dicant, audire, verum etiam quid modesti & graues viri sentiant faciantue, de vitæ ipsorum ac disciplinæ exploratione perpendere.* Hanc solicitudinem meam si imitarentur isti, qui se magistros profitentes orbis terrarum sua plerophoria miserè decipiuntur, fortasse etiam pœnitentiam imitarentur, & mecum resilirent ab iis, qui sine vocatione ingressi, sine ratione mentiti, sine mente grassati supera inferis miscuerunt, & neque vitæ innocentia fratribus similes, nec fidei vnitate patribus concordes esse voluerunt.

Epist. 52. ad Anton.

Sed

Sed vt eò iam, cuius gratia tota hæc ſcriptio inſtituta eſt, progrediar: vides Sanctiſſime Pater ex commemoratis, quis ſit ſenſus meus & animus. Redeo ex fuga & diſperſione longa: cupio reconciliari iis, qui Eccleſiæ poſſeſſores ac vitæ æternæ hæredes rectiſſime creduntur: Tanquam ouis perdita ſto ad oſtium ouilis Chriſti, & pulſans humiliter intromitti cupio. Hic cum nulli claues aut ſpatioſi ouilis cura commiſſa ſit, præterquam tuæ Beatitudini ſoli: prouolutus ad pedes Sanctiſſimos tuos, cum multo gemitu & planctu, propter Chriſtum ſupplico, vt ne ſpernas æſtuantem hanc animam meam, nec à grege tuo repellas: quin potius apertis clementer foribus, ad Eccleſię ſacroſanctæ communionem, & ſaluberrima Sacramentorum pabula admittas: Poſtmodum, quod reliquum eſt, exulem breui propter Chriſtum relictis omnibus futurum Apoſtolica benedictione tua compleas, & ſuſtentes. Quod à Beatiſſima Sanctitudine T. petere & ſperare, non iuſſit impudens aliqua & proterua audacia: ſed iuſſus & authoritas eorum, qui ſuo merito Sanctitati T. à latere iuncti omniumque conſiliorum conſcii, hanc mihi promptiſſimam voluntatem tuam, in media Germania, non obſcurè confirmarunt. Idque vbi eorum votis, & tua pluſquam diuina ad Germanos iuuandos promptitudine impetrare licebit, mea in Deum pietas, & in Apoſtolicam

hanc ſedem humilitas atque obedientia: in tuenda verò Catholica vnitate firmitas & conſtantia, ita ſemper conſtabit, vt nunquam vel nomine Catholico, vel Pontificis Maximi beneficiis planè indignus fuiſſe videar. Nec dum viuam, ſacroſanctam Dei maieſtatem ardentibus votis precari deſinam, vt T. Sanctitatem vniuerſæ Eccleſiæ Chriſtianæ quàm diutiſſimè incolumem ſeruare, Tuumque iſtum Pontificatum quàm plurimorum Germanorum conuerſione inſignem facere dignetur. Vale, S. Pater. Calend. Decemb. Anno 1600.

EPISTOLA V.

ILLVSTRISSIMO ET REVERENDISSIMO D. CAESARI BARONIO SORANO, S.R.E. presbytero Cardinali, Tit. SS. Nerei & Achillei, ſanctæ Apoſtolicæ ſedis Bibliothecario, &c. Domino ſuo Clementiſſimo.

IVSTVS CALVINVS S.

INter Romanæ Eccleſiæ præſules, interque veræ ac ſolidæ iuſtitiæ præcones, qui aduentanti nunc Antichriſto diuina ingenii ſui

acie

acie neruos incidunt, profugisq; ab Ecclesia tuba sonanti receptui canunt, te præcipuum esse, CÆSAR BARONI, Cardinalis Illustrissime, & fama dictitat, & præclarissima annalium tuorũ monumenta contestantur. Quocirca aliquoties me has scribere ingressum, deterruit partim grauissimorum negotiorum tuorum recordatio: partim iusta debitaque Illustrissimi nominis tui reuerentia. Sed hæsitantem confirmauit iterum spectatissima ordinis vestri humanitas, & in primis benignissima mei ad scribendum inuitatio: qui cum consultissimi viri, Iosephi à VVinden, Germaniæ Referendarii sermonibus, nec non Reuerendi patris Andreæ Vermadii literis de mea ad Catholicam fidem conuersione certior factus esses, summoque idem Pontifici retulisses: mirificè vterque pro vestra pietate cum beatis DEI spiritibus huius animulæ inuentione vos ostendistis recreatos. Atque ego si affectus istius vestri erga me magnitudinem vllis verborum præconiis satis celebrare, vel digna gratiarum actione prosequi me posse sperem, valdè oblitus sim & virium mearum, & longè maximæ dignitatis Apostolicæ. Verùm vt tam benignis celebribusque benefactoribus maiorum erga me meritorum occasionem præbeam, paucula de rebus meis, & diuturnis præsertim erroribus commemoranda puto. Qua in re illud primo loco constituo; nulla me voluntate tam diu ex-

tra Christi castra profugum, aduersus sacerdotes DEI maledicum, ab officina salutis alienum fuisse, sed patriæ partim corruptione infectum, partim peruersa præceptorum informatione inductum. Postquam enim, persolutis iam quatuor Apocalypseos tubarum pœnis, quinta tuba sonante, hæc misera Germania nostra, per illam funestam stellam cœlo delapsam, inexpiabili crimine inuoluta, & fumo tartareo, locustisque pestilentibus, in tantam fidei vitæque profanitatem adducta est. Ego quoque huius Ægypti incola, communibus, pròh dolor, tenebris inuolutus, & ab regia salutis via cum aliis abstractus sum. Ac ne multus sim, vigentibus publicè erroribus, illud mihi accidit, quod Marcus Cicero in Academia de stultis Philosophis commemorat. *Cæteri* inquit, *primum ante tenentur astricti, quam quid esset optimum, iudicare potuerunt: deinde infirmissimo tempore ætatis, aut obsecuti amico cuidam, aut vna alicuius, quem primum audierunt, oratione capti, de rebus incognitis iudicant, & ad quamcunque sunt disciplinam quasi tempestate delati, ad eam tanquam ad saxum adhærescunt.* Viua profecto, viua deceptionis mei imago. Parentibus enim (quod misericors DEVS in melius vertat) haud Catholicis natus, præceptoribus haud Catholicis vsus, patriæ haud Catholicæ consuetudine imbutus, ad fidem quoque haud Catholicam me pertrahi

Apocal. 9.

trahi

trahi paſſus ſum. Eam inquam fidem, ſi fides dicenda eſt, quæ à conſenſu orbis Chriſtiani aliena, Donatiſticam quandam puritatem iactitat, & Catholicum nomen deteſtata, fidam Chriſti ſponſam, Romanam Eccleſiam, miris verborum ludibriis ſubſannat, & ferro furenter perſequitur. Sed quia benignus DEVS ſimplicitatem meam & interitum miſerabatur, ſubinde optima iam annis aliquot continuis ſuppeditauit remedia, quibus ad erroris & periculi ſenſum ſanæque mentis poſſeſſionem adduci poſſem. Ac primum, quia me faſcinatum videbat, glorioſæ Euangelicæ profeſſionis titulo; ſæpiuſculè in mentem reuocauit, laceram ſciſſamque huius ſynagogæ faciem, quæ nullo vnitatis vinculo copulata, in multas minutiſſimas partes ſecta, capitali inter ſe odio diſſideret, & tanquam Babylon ſuis fruſtrata auſis, in dies ſuppullulantibus nouis fœtibus emarceſceret, atque extingueretur.

Deinde, vt (quod pene puer animaduerteram) fraudes & mendacia hæreticorum, in detorquendis ac ſugillandis Catholicorum ſententiis, manifeſtius aperiret, lectionem ipſorum Catholicorum authorum ſuaſit: primumque in manus dedit ſanctorum aliquot Patrum commentaria, Auguſtini inprimis & Cypriani: qui tanquam duo fulmina belli, facilè proſtrauerunt pleraque nouatorum mendacia, quantaque

fide illi in tractanda antiquitate versarentur, demonstrarunt. Sed vt ad rem propius accederem, atque ipsam quasi arcem causæ inuaderem, ad ipsos quoque recentiores Theologos consulendum incitauit. Quos vbi inspexi, tanquam Bethsaidanus ille gradatim sanatus, *primum à longè videre mihi visus sum homines tanquam arbores incedentes*, deinde continuata lectione & repetita quasi impositione manus dominicæ plenariam sanitatem recuperaui, ac dilucidè veritatem perspexi. Enimverò parentum liberorumque amor, præceptorum admiratio &c. ægrè melioribus locum dedit. Sed quia potiorem DEI quam hominum rationem habendam noueram, & apertissima veritas vrgebat, coactus sum illi manus dare, nec amplius reluctari potui. *Vt enim lancem in libra ponderibus impositis deprimi, sic animum perspicuis cedere necesse est.* Et quum inconstantiæ fama insidiaretur, succurrebat Cyprianus, *Non* inquiens, *quia semel erratum est, ideo semper errandum est, cùm magis sapientibus & DEVM timentibus congruat, patefactæ & perspectæ veritati libenter atque incunctanter obsequi, quàm pertinaciter atque obstinatè contra fratres & sacerdotes pro hæreticis reluctari.*

Actor. 4.

Cicero in Academia.

Epistola 73. ad Iulianum.

Sic itaque diuina ope sanatus, fide & intellectu interioris hominis, dudum rationes omnes quæsiui, euadendi hanc lernam, & publicè profitendi fidem meam. Sed

Sed quia Dominus ipſe monebat, *ne turrim ædificaturus, aut hoſtem cæſurus, temere ad opus proſilirem, ſed ſumptibus prius ſubductis viderem, par ne operi perficiendo eſſe poſſem*, ne ſpe deiectus, riſum ludibriumque mouerem vicinis: Ego iuſta me ratione moueri credebam, vt lentè agerem, & vada prius tentarem, littoraque explorarem, quàm me periculoſo cum meis mari committerem.

Cumque hoc ſolicitè mecum iam multos menſes faceret, Reuerendus & Doctiſſimus Pater, ANDREAS VERMADIVS, rerum mearum & ſalutis ſtudioſiſſimus: Ecce θεὸς ἀπὸ μηχανῆς, nobis de ouiculis aliquibus conciliandis ſolicitis, tua inprimis opera, Cardinalis Illuſtriſſime, ipſum Paſtorem ſummum conciliauit, eiusque voce humaniſſima quæque pollicitus eſt. Quam tam optatam conſilii perficiendi occaſionem, vt ego è manibus dimitterem, nihil erat. Quin potius pro Illuſtriſſimæ Celſitudinis tuæ hortatu humiles quaſdam, & fortaſſe non ſatis pro dignitate compoſitas literulas ad ſedem Apoſtolicam direxi: certa ſpe fretus, fore vt explicatis Pontifici Maximo longorum errorum meorum deceptionibus, & periculorũ, in quibus adhuc verſor, anguſtiis, coadiuuãte diuina miſericordia, & ingenita Pontificis Maximi bonitate, hoc præſertim anno Iubileo & veniã delictorũ, & Catholicæ vnitatis vinculum

Apoſtolicæque liberalitatis fructum eſſem impetraturus. Quod votum meum, vt & Illuſtriſſima Celſitudo tua, à qua originem ducit, ſuo voto comprobare, ſanctiſſimoque Domino noſtro quàm efficaciſſimè inſinuare velit, per ſanctam Domini crucem, & viuifica ipſius vulnera ardentiſſimè precor. Ego quàmprimum Apoſtolicæ voluntatis nutum vel minima ſignificatione percepero, me illi abſque vlla cunctatione morigerum præſtabo; & quidquid porrò ad Catholici nominis dignitatem, ad humillimam pro acceptis beneficiis gratitudinem, ad commiſſam denique quamcunque Spartam noſtram pertinebit, tanta σὺν θεῷ, fide, curabo, vt nulla in parte meo muneri defuiſſe videar.

DOMINVS IESVS ſanctiſſimum Dominum noſtrum, nec non Illuſtriſſimam Celſitudinem tuam, ad maximum Eccleſiæ ſuæ emolumentum, meam & plurimorum conuerſorum ſalutem, quàm diutiſſimè ſeruet incolumem. Vale 3. Decembris. Anno 1600.

EPISTO-

Epistola VI.

ILLVSTRISSIMO ET REVERENDISSIMO, D. Roberto Bellarmino. S.R.E. Presbytero, Cardinali, &c. Domino ſuo Clementiſſimo,

IVSTVS CALVINVS S.

TV verò ille es, Roberte Bellarmine, Cardinalis Illuſtriſſime, quem colit & veneratur anima mea, quem diligit & exoptat cor meum. Tu es, qui animam hanc vindicaſti à morte, & pluſquam Cimmeriis tenebris obrutam, diuinæ virtutis fulgore, ſecundum Devm, colluſtraſti. Tibi vota faciam, tuumq; immortale nomen perpetuis laudibus celebrabo. Ecquid hoc eſt, inquis? quem inſperatum Pæana audio? quis peregrino celeuſmate acclamat? Ego ego ſum, Roberte Bellarmine, dulce ſolatium meum, amica quies mea. Ego ſum, magnus debitor tuus. Si gratiam inueni in oculis tuis, præbe aures tuas, percipe magnalia Dei, audi excellentiſſimos fructus laborum tuorũ. Ecce ſedebas quondam, & medicinam parabas ægris, quos vel tartareæ locuſtæ à Iohanne præſignificatæ, falſorum dogmatum aculeis lęſerant, vel hydrops falſæ ſapientię inflarat, vel leuis ſuper-

biç aura ex area Ecclesiæ proiecerat. His medicinam disputationibus tuis parabas, atque in vulgus prolatam cunctis propinabas. Sed vide ingratos homines. Alios vis morbi obstupefecerat, alios desperatio acquirendæ sanitatis abalienauerat, alios furor ad proculcandũ pharmacũ incitauerat. Mihi quid accidit, ægrorum infirmissimo? Propinatur eadem librorum tuorum medicina. Rideo, vt assuetus eram, & tamen periculi faciendi causa admitto eam, lectioneque imbibo. Hic, quod ægris quibusdam accidere solet, pharmacum primò commouet animum, ac resultum quærit. Postmodum aliquandiu retentum, occulta virtute interius cum morbo conflictu habito, sudorem toto corpore excitat. Quod vbi sensi, tum demum grauissima me lue infectũ, totaq; cura ad frequentandum antidotum opus esse animaduerti. Eoq; facto maiores indies vires colligere, & tandem, benedicente Domino, integram sanitatem recuperare cœpi, vt nunc quidem nihil amplius in votis habeam, quàm primo quoq; die abiectis pristinis errorum exuuiis valetudinarium hæreticorum relinquere, & in arce Ecclesiæ DEI cum Catholicis sincero corde ac fide ambulare. En operum tuorum saluberrimam in me medicinam Bellarmine! En quanto me malo eripueris: quantoq; bono bearis! Laborabam periculosè, tu sanasti: moriebar lachrymosè, tu viuificasti, sepultus eram calamitosè, tu è pulueribus in-

ferni excitaſti, inquè regia DEI collocaſti. O nunquam commemoranda ſatis beneficia tua? Pro iis quid ego reponam? ſuperat iſta magnitudo omnes theſauros mundi. Nihil igitur repono, mihi quod priſcis diuorum donariis inſcribi ſolebat, *Aliud quidem non habeo.* Sed & Dominus miſerationum in hac iam vita conſtituens te inter principes populi ſui, atq; inter columnas Eccleſiæ ſuæ hanc tuam fidelitatem inſigni laurea coronauit, & in altera longè maiori & diuiniori coronabit, rependens illud Prophetæ Danielis: *qui docti fuerint fulgebunt quaſi ſplendor firmamenti, & qui ad iuſtitiam erudiunt multos, quaſi ſtellæ in perpetuas æternitates.* O magnificum Mineruale, Bellarmino meo debitum! Qui vt miſericordiæ quoq; præmium conſequatur, exilio meo conſolando ſuſtentandoque, liberaliter efficere poteſt. Quod vt facias Cardinalis ampliſſime, vir æterna memoria proſequende, ſubmiſſè obnixèq; oro: dumq; facis, ego tibi ac ſimilibus tui, Baronio inprimis, canticum illud ingeminare non ceſſabo, quod ſanctus Auguſtinus 13. Confeſſionum Capite nono de vobis quaſi vaticinans protulit. *Currite ignes ſancti, ignes decori, vos enim eſtis lumen mundi, nec eſtis ſub modio. Exaltatus eſt cui adhæſiſtis, & exaltauit vos, diſcurrite & innoteſcite omnibus gentibus.* 4. Decembr.

Anno 1600.

EPISTO-

EPISTOLA VII.

CLARISSIMO AC CONSVLTISSIMO VIRO, D. Iosepho à VVinden, I.V. Doctori, ac Germaniæ in curia Romana Referendario, &c,

IVSTVS CALVINVS S.

O Vtinam Romæ vobis vel vnum diem coram adesse liceret, clarissime ac consultissime vir, totam mearum rerum seriem, à primo vobis ouo commemorarem, exponeremq; quibus adhuc angustiis, probante Domino, meam in recens cognita veritate constantiam, circumseptus sim. Quin & vobis pro vestra illa insigni ad me iuuandum promptitudine, gratias quantas possum maximas agerem, rogaremque, vt quam à longè ostendistis erga me hospitem beneuolentiam, deinceps ad pacem anhelanti, atq; ægrè ex hisce voraginibus emergenti, præstare non desistatis. Sed quia loci distantia, ac præsens rerum mearum status, id nullo modo sinunt, literarum ministerio vtendum, vobisq; rerum mearum statum, quantum molestissimæ occupationes sinerent, exponendum duxi. Facilè autem reputare potes pro tua

tua prudentia, in quanto hîc discrimine verser, si conuersio mea publicè patescat. Et tamen nonnullis aliquid suboluit: qui magna anxietate euentum rei expectant, persuasi fore, vt temporis diuturnitate iste meus ardor refrigescat. Sed qui didici ex ore Saluatoris, *non satis esse manum aratro admouere, sed constantiam requiri, illosque demum βεβαίων consecuturos, qui ad finem vsque perseuerarint*: nunquam iuuante Deo, committam, vt vlla me pericula, vel blanditiæ de gradu constantiæ deiiciant. Nec non sæpe laudabo auream illam Cypriani sententiam, *Graues viros, & semel super petram solida stabilitate fundatos, non dico aura leui, sed nec vento aut turbine commoueri, ne animus dubius & incertus, variis opinionibus velut quibusdam ventorum incursantium flatibus frequenter agitetur, & à proposito suo, cum quadam leuitatis reprehensione mutetur.* *Luc. 9* *Matth. 24.* *Epistola 52. ad Anton.*

Quanquam igitur minimè præcipitandam arbitror, meam ex hisce terris migrationem: tamen quia ouiculam diu inter lupos versari, periculosum est, necessariò mihi aliqua securitatis ratio ineũda erit, vt DEO hominibusque fides mea constet, & familiam meam ex hoc incendio eripere possim. Indies enim mihi audire videor id, quod Hector Æneæ; *Virgilius 2. Aeneidos.*

Eia age nate Dea, teque his ait, eripe flammis,
Hostis habet muros, ruit alto à culmine Troia.

De

De fortunis meis non tam ſollicitus ſum quàm de vxore, ternaque prole, tenella adhuc, & in primis annis conſtituta. Viciſſim conſolatur ſanctiſſimi noſtri Benignitas & ſpectatiſſima liberalitas: quem pro veſtro ſuaſu peculiaribus literis certius adhuc conciliare mihi volui, modo rectum curſum tenuerim. Iſtas literas, vt & alteras ad Illuſtriſſimos Cardinales BARONIVM & BELLARMINVM, vt tua amplitudo rectè curare velit, obnixè per CHRISTVM oro. De BARONIO quid velim, vobis notum eſt. BELLARMINVM ſalutare, prope diuina eius erga me merita iuſſerunt. Iſte enim eſt, cuius ductu auſpiciiſque primum ad Catholicam ingreſſum feci: iſte me erudiit, colluſtrauit ſecundum DEVM, fouit ac confirmauit in ſanctiſſima DEI veritate: idque eruditiſſimis diſputationibus ſuis: de quibus ſi quis alius, certè iudicioſiſſimus BARONIVS veram tulit ſententiam *libro primo Annalium pagina 468.* vbi ſic ſcribit: *Diſputationes Roberti Bellarmini, ſunt inſtar turris illius, quam Dauid ædificauit cum propugnaculis, ex qua mille pendent clypei, & omnis armatura fortium.* Sed video excreſcere epiſtolam. Finis ſit, ſcribendi quidem, non autem amicitiæ, qaàm, vt veræ religionis glutine coniunctam in multos annos protrahere poſſimus, DOMINVM IESVM precor. Vale 4. Decemb: Anno 1600.

Baronij iudicium de Bellar. diſp.

EPI

EPISTOLA VIII.

Clemens Pap. VIII.

DILECTO FILIO,

IVSTO CALVINO.


DIlecte fili, Salutem & Apostolicam Benedictionem. Perlectis literis tuis, quas ad nos dedisti, de tua ad fidem Catholicam conuersione, commota sunt viscera nostra, super filio nostro è regione longinqua, vbi fames ac tenebræ, & vmbra mortis ad domũ paternam redeunte, hoc est, ad vnã sanctam Catholicam & Apostolicam Ecclesiam, quæ est domus DEI viuentis, columna & firmamentum veritatis, & quamuis corpore longè à nobis absis, tamen in vnitate fidei, & in vinculo caritatis, & in spiritu Christi, qui in semetipso etiam disiunctissima iungit atque conglutinat, te vt præsentem intuebamur, & cecidimus super collum tuum, teq; non iam vt alienum, sed vt filium, non vt membrum Diaboli, sed vt membrũ Christi & nostrum paterno affectu complexi sumus, gaudio spiritali exultantes in Domino, quia filius noster, filius Ecclesię, qui perierat, inuentus est, & qui mortuus erat, reuixit. Benedict⁹ Deus & Pater Domini nostri Iesu Christi, q ostendit in te abundantes diuitias gratiæ & misericordiæ suę, qui te densissimis errorum atque hæresum tenebris obcæcatum, & planè mor-

mortuum, ſecundum interiorem hominem, excitauit, illuminauit, & conuiuificauit in CHRISTO, & dedit tibi ſpiritum ſapientiæ, & reuelationis, in agnitione eius, vt cognoſceres, & intelligeres, quia vnus eſt DEVS, vna fides, vna Eccleſia, non in vnius prouinciæ angulum coniecta, ſed toto terrarum orbe diffuſa, non in penetralibus, & locis tenebricoſis abdita, ſed vt ciuitas Dei ſupra montem poſita, non heri aut nudius tertius excogitata, à paucis hominibus cupidis, elatis, ſuperbis, qui deſerentes antiquitatem, vniuerſitatem, conſenſum, & abnegantes veritatem à Chriſto traditam, ab Apoſtolis promulgatam, à fortiſſimis Martyribus ſanguine confirmatam, à ſacroſanctis œcumenicis Conciliis declaratam, à ſanctis Patribus per tot ſeculorum ætates vnanimi, atque admirabili ſenſu & conſenſu prædicatam, ſeipſos ſolos horribili ſuperbia & intollerabili audacia omnibus præferentes, conuerterunt ſe à fidei veritate ad fabulas, & adorauerunt idola manuum ſuarum, nimirum hæreſes & impietates ſuas, quibus dementarunt multos, & quod ſine magno dolore commemorari non poteſt, animas pretioſo CHRISTI ſanguine redemptas, ſecum abduxerunt in damnationem atq; interitum ſempiternum. Iterum igitur & ſæpius benedictus Deus, & pater miſericordiarum, qui ex tenebris illis eduxit te in admirabile lumen ſuum, & benedictus tu, fili, qui diuinæ vocationi & Spi-

ritui ſancto non reſtitiſſe, ſed aperuiſti cor tuum pulſanti Deo, teque prǫuenienti in benedictionibus dulcedinis, quæſiuiſti & inueniſti ſapientiam, veritatem, vitam, tene eam, nec dimittas, & quod Deo auctore fortiter inchoaſti, eodem adiutore conſtanter perfice: miſiſti manum ad aratrum, ne reſpicias retrò, licet te ciues, & neceſſarii tui, vt ſcribis irrideant, deteſtentur, proſcribant, ne te vllo humano affectu aut timore, aut terrenis, & carnalibus rationibus à tuo ſancto propoſito retardari; nedum dimoueri patiaris. vitæ auctor clamat ad te, qui amat patrem aut matrem plus quàm me, non eſt me dignus. Etiamſi parentes, patria, cognati, amici deſerent, & derelinquent te, Dominus & pater omnium aſſumet te, & nos, qui illius vicem in terris, immeriti licet, gerimus, aſſumemus. Vtinam illi exemplum tuum imitentur, ſed ſi magis tenebras diligunt, quàm lucem, illi miſeri in peccato ſuo morientur. tu fuge de medio Babylonis, & ſalua animam tuam, pro qua nulla commutatio dari poteſt. Ne ergò timeas, te enim tamquã ouem perditam, vt ſcribis, ad ouile Chriſti pulſantem, non ſolum non repellemus, ſed vltrò accerſimus, & iam nunc inuitamus, & apertis brachiis expectamus, vt complectamur, & perfectè introducamus intra gremium ſanctæ matris Eccleſiæ, quæ te parturit, donec Chriſtus formetur in te. Veni ad nos, veni ad vrbem Romam, veni ad

Ecclesiam matrem, & magistram omnium Ecclesiarum, à qua totius Ecclesiæ Catholicæ vnitas dimanat, vbi domicilium religionis, vbi fidei Petra, & Apostolica illa successio à beatissimis Apostolis Petro & Paulo, vsque ad humilitatem nostram, quæ omnes hæreses conuincit, & prosternit: nos studiis tuis suffragabimur, eaque, vt expetis, sustentabimus, vt multis prodesse possis, neque patiemur, vt quæ ad vitam, & victum necessaria sunt desideres, ea enim tibi sumministrari iubebimus, tuisque commodis benignè consulemus, omni denique amoris significatione, te in Domino prosequemur. Cuius nostræ in te voluntatis, has nostras litteras testes, & veluti pignus esse volumus. Deus autem omnis gratiæ, qui opus suum in te incœpit, ipse absoluat & perficiat, in laudem & gloriam nominis sui, vsque in diem Christi, Amen. Datum Romæ, apud Sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris, die XVII. Ianuarii M.D C I. Pontificatus nostri Anno Nono.

Siluius Antonianus Card.



EPI-

EPISTOLA IX.

CINTHIVS ALDOBRANDINVS, S. R. E. CARDINALIS, &c.

IVSTO CALVINO, S.

ORnatissime vir ac Domine; quas literas ad S.D.N. superiori mense Decemb. dederat D.V. eas ego quoque perlegi, & quidem cum incredibili quadam animi mei voluptate. Erant enim huiusmodi, vt facilè appareret, non potuisse tam præclara perscribi, nisi ab eo, cuius mentem manumque diuinus afflatus iam regeret, penitusq; occuparet. Tantam felicitatem D.V. ex animo gratulor; Deum opt. maxim. precatus, vt gloriosam hanc victoriam, quam de se ipsa iam retulit D.V. non sibi solum, sed & aliis quam plurimis velit esse salutarem. Quod quidem omninò fore confidimus, præsertim si, quod pollicetur, in eam curam sedulò deinceps incubuerit, vt rectam veritatis viam aberrantibus pio officio demonstret. De paterna S.S. erga eam caritate, nihil attinet me plura scribere, quandoquidē eam cumulatè exprimit breue Apostolicum quod mitto. De me priuatim omnia sibi polliceatur velim, quæ ab homine sui amantissimo proficisci possunt. Valeat feliciter D. V. & quæ iā eruditionis laude (vt video) floret, ad solidā ex vera pietate gloriam, qua nihil illustrius, totis viribus, quod facit, contendat. Romæ die 20. Ianuarii 1601.

EPISTOLA X.

CÆSAR BARONIVS SORANVS, S.R.E. Cardinalis, &c.

IVSTO CALVINO; S.

AMantiſſime frater, vt perlegi literas tuas, Deo optimo maximo, *cuius ſunt miſerationes* (vt cecinit Dauid) *ſuper omnia opera eius*, plurimas gratias egi, quod è tenebris te vocauerit in admirabile lumen ſuum. Hoc beneficio nullum maius, gratia nulla potentior vel vtilior, ob idque cuſtodienda cautius, & ſolicitius conſeruanda, aliudque non tam generoſo victori carmen ſit triumphale canendum, quàm idem ipſe monendus verbis Apoſtoli: *Videte quomodo cautè ambuletis, non quaſi inſipientes, ſed vt ſapientes, redimentes tempus, quoniam dies mali ſunt*, & cohortandus verbis Dominicis: *Ambulate dum lucem habetis, vt non vos tenebræ comprehendant: & dum lucem habetis, credite in lucem, vt filii lucis ſitis.* Victus ſemel Diabolus, maiori impetu ſolet aſſurgere, & validioribus virib⁹ victorem appetere, pro vt nos exemplo illo docuit Dominus, de ſpiritu nequam, qui cum exit à homine, non quieſcit, ſed auxilares copias colligit, aſſu-

aſſumens ſeptem alios ſpiritus nequiores ſe, vt quam dereliquit ad tempus munitionem inuadat,aut dolis expugnet. *Circuit namque ille*(monet Petrus)*tanquam leo rugiens, quærens quem deuoret , cui reſiſtite fortes in fide.* Quærit fugitiuum ſuum , militantem iam in caſtris Eccleſiæ,repetit transfugam ſuum, ne prodat artes ſuas & conſilia ſua faciat manifeſta, valdè timens, ne rurſus Saulus in Eccleſiæ Catholicæ conflatorio igne diuini ſpiritus confletur in Paulum, & fulmen prodeat veritatis, telum mendacii, quo ipſe ad debellandas gentes eſt vſus. Tu verò ſtrenue Chriſti miles, caue ne ſemel ſumptum ſcutum fidei, abiicias indecorè ; magis autem teipſo potentior indies euadens , teipſum ſupera, te ipſum æmulans, vt erubeſcas nō longè maiora p̄ſtare ſub Chriſto duce miles adſcriptus , quàm ſub principe tenebrarum opera exhibueris tenebrarum.

Iſta ego ad te commilito tuus, cupidiſſimus gloriæ tuæ,abſens corpore clamo, præſens ſpiritu auribus ingero. Spectaculum iam factus Deo,angelis, & hominibus, inter duos tuos Agonothetas, Cyprianum & Auguſtinum, in certaminis campum ingreſſus, fauente Deo, miniſtrantibus Angelis, coadiuuantibus fratribus, ſanctis monentibus & opem ferentibus, nihil eſt tibi timendum, ſed gaudendum; magis verò exultandum, ſi pro fide Catholica, ipſa veritate tuenda, aliquid pati dignus inuentus fueris. Reddidi

literas tuas summò Pontifici, audit libenter iamdiu perditæ balatus ouis, quam & iudicauit dignam, vocem audire pastoris, Apostolicis te literis alloquens, quibus velut extentis brachiis te complectitur, & quot characteribus, tot petit osculis, imponens super humeros suos, &c. quem semper verè Pastorem & patrem experieris. Vale, Romæ 20. Ianuar. Anno Domini 1601.

EPISTOLA XI.

ROBERTVS BELLARMINVS POLITIANVS, S. R. E. CARdinalis, &c.

IVSTO CALVINO, S.

CLarissime Domine, quod gratia spiritus sancti cor tuum poteti sua virtute ad veram lucem aspiciendam & amandam conuerterit, & lætor ex animo, & gratias ipsi Patri luminum, quantas possum, ago. Quod verò ad hoc efficiendum scriptis meis prouidentia diuina vti voluerit, exulto, mihi crede, pro fructu, sed inani non efferor gloria. satis enim imperfectum meũ noui: neq; ignoro, *virtutem Dei*, vt Apostolus ait, *in infirmitate perfici*, id est, tantò illustrius Dei potentiam enitescere, quantò per instrumenta infirmiora operatur. Magnum Dei donum est agnitio veræ Ecclesiæ, in qua sola reconciliantur homines Deo, & spem solidam concipiunt adipiscendæ salutis æternæ, hæc videlicet

licet est *illa preciosissima margarita, quam qui inuenit, venditis omnibus cõparare studet.* Neq; metuendum est, ne si propter fidem patrimonium amittamus, fame nobis & frigore pereundum sit, cùm Dominus dicat *Quærite primum regnnũ Dei, & iustitiã eius, & hæc omnia adiicientur vobis.* Sed etiamsi rapinam bonorum nostrorum, vt Apostoli verbis vtar, sine spe talia rursus acquirendi pati nos oporteret, non ideò minore ardore animi in veræ fidei professionem & prædicationem incumbere deberemus. *non enim sunt condignæ passiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis.* Pontifex Maximus optimam voluntatem erga te gerit, & breui dabit operam, vt res necessariç tibi & tuis ad vitam honestè transigendam non desint. Sed si fortè diutius res differretur, quàm par esset, ob distantiam regionum, & plurima negotia, quibus optimus Pontifex quotidiè pene obruitur, velim ad mentem reuoces, quod Moses populo in angustiis posito dicebat, tentat vos Dominus Deus vester, vt sciat an diligatis eum. Ego pro mea virili non deero, tum precibus apud Deum, vt opus bonum, quod in te cœpit, ipse perficiat, tum apud homines, vt temporalia subministrent iis, quos à patre cœlesti ad regnum æternum vocari vident. Vale clarissime vir, confortare in Domino, viriliter age, omnem solicitudinem tuam in Deum proiicito, quoniã ipsi est cura de nobis. Romæ die 18. Ian. Anno 1601.

EPISTOLA XII.

SANCTISSIMO AC BEA-tissimo Patri,

ET DN. CLEMENTI VIII. Pontifici Maximo,

IVSTVS CALVINVS sempiternam felicitatem.

BEATA verò tempora nostra, sanctissime Pater, quæ te tantum Ecclesiæ præsulem genuere! Beatum me, qui talem, secundum CHRISTVM, animæ meæ Pastorem inueni: tam vigilem, vt balatus redeuntis ex eremo ouiculæ non obaudiat: tam fidum, vt pulsantem ad fores Ecclesiæ non repellat, tam humilem, vt voce etiam & alloquio dignetur. O quis illud sacrum Apostolicum tuum satis digno encomio prædicabit? præsens ætas mirabitur affectus humanitatem; posteritas prædicabit veritatis sinceritatem: secula omnia obstupescent religionis sanctimoniam. Ita enim clementer reducem excipis, PATER, ita sincerè tyronem imbuis; ita religiosè tractas & inuitas exulem, vt & miris modis incomparabilem nominis tui famam augeas, & hæreticos omnes pudore ignominiaque suffundas.

Crepant

Crepant multa degeneres filii, de matris desertæ inhumanitate, exagitant spiritum eius celsum: Dominici gregis pastores, summos pariter & imos, quibus possunt virulentissimis conuitiis proscindunt, & fœdissimis fictorum criminū maculis conspurcant. Sed qui tales sunt, adsint huc, aperiant oculos, pandant aures, capiant fidelissimæ matris pietatem, curam, benignitatem, solicitudinem, humilitatem, distenta vbera, religiosissimum sinum. Et, si mentis stupor eos inuasit, vel crassis manibus tangant diuinam pastoris summi erga miseram ouiculam propensionem, cum magna eam exultatione in humeros suos recipientem, domumque reportantem. O Vtinam amore tali illecti, inueniantur & ipsi, ne perditi pereant, & miseri errore, miserrimi fiant, damnatione & cruciatu sempiterno! Capiant exemplum redeuntis filii, & recipientis patris: neque pluris faciant superba mundi deserta, reluctantia & relatrantia castris DEI; quæ igneo promissionum DEI muro circumuallata, nihil damni è canum circumlatrantium rabie capiunt: gaudii autem plurimum ex salute eorum, qui ex hostibus amici facti, futuræ gloriæ consortium adipiscuntur.

Sed missis illis, ad te redeo Sanctissime Pontifex: cui quoniam omnes totius orbis Christiani diuino humanoque iure ad ꝓmptam & alacrem obedientiam deuincti sunt, dicente Apostolo, *Obedite præpositis vestris* *Ad Heb. 13.*

qui vigilant pro animabus vestris: Ego sanctitatis tuæ voce (quod sine humillima animi deuotione, maximaque gratiarum actione commemorare nequeo) non solum ex hæreseos gurgite ad sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ, *cuius fides toto orbe prædicatur*, communionem admissus, verum etiam in vrbem sanctam, & domicilium religionis humanissimè euocatus: pro munere meo non possum neque debeo, quin quamprimum ad limina sanctorum Apostolorum me sistam, tuaque vlteriora capessam imperia. Sed quoniam præter viæ longinquitatem maximam, plurimæ etiam difficultates aliæ me nunc impeditum tenent, familiæ vtcunque numerosæ importunitas, valetudinis subinde recurrens imbecillitas, æstus flagrantissimi metus: nolo in eam venire opinionem, quidquam me ab officio aut sanctissimæ voluntatis tuæ nutu facturum alienum, si paululum dilato itinere, commodioris temporis opportunitatem expectaro. Quod vbi non ingratum sanctitati tuæ intellexero, faxo quamprimum me Catholici habeant alicubi socium confessionis, & æmulum pietatis. Sed quia magnam mihi calamitatum messem hac emigratione mea præparatam video, DEVM Optimum Maximum seriis votis precor, vt quam in me mentem excitauit, eandem spiritus sui robore perpetuò firmet atque alat, ne vnquam me vlla (quod haud spero) aduersitas de gradu constantiæ defi-

deiiciat. Tua vero Beatissima sanctitudo, quem erga me semel suscepit fauorem & gratiam, vt nullo vnquam tempore abiiciat, quam possum humillimè peto. Quod ad me attinet, profiteor in conspectu DEI, quod ante hac etiam Sacramento interposito professus sum, me sincero pectore Catholicam fidem amplecti, & ad extremum vsque spiritum amplexurum, quoscunque potuero edocturum, & contra quosuis pro mea tenuitate verbis factisque, atque etiam si opus sit, sanguine defensurum. Sanctitatis autem tuæ erga me credibilia merita muneraque, nulla vnquam temporis obliuio ex animo meo delebit, quin quotidiana ea memoria Deo Optimo Maximo ad æternam compensationem insonem. Huius clementissima protectio Sanctissimam Beatitudinem tuam plurimos annos sospitem valentemque conseruet, atque omni spiritali benedictione corpore & animo magis magisque adaugeat. Augustæ Vindelicorum 22. Maii, Anno redempti orbis 1601.

EPISTO-

EPISTOLA XIII.

ILLVSTRISSIMO AC REVERENDISSIMO, D. Octauio Parrauicino S. R. E. Cardinali, Tit. S. Alexii, Germaniæ Protectori amplissimo, Domino suo Clementissimo,

IVSTVS CALVINVS S.

QVàm miseræ sint vices rerum humanarum, Cardinalis Illustrissime, quamque variè multi in hoc vasto mundi pelago, vel bellorum fluctibus iactentur, vel errorum & hæreseon procellis à salutari fidei portu ad inhospita saxa & scopulos æternę damnationis allidantur, plus satis, pròh dolor, misera hæc Germania nostra septuaginta nunc & amplius annorum suffragio demonstrat. Egoq; minimus inter multos, non planè istius calamitatis expers fui. Sed quanta DEI in reuocandis multis ab erroribus & æterna pernicie, benignitas sit: quanta item Ecclesiæ Catholicæ, quæ Christi corpus & sponsa est, in recipiendis tractandisque talibus lenitas & mansuetudo, luculentissimè vel meo vnius exemplo patet. Annos enim complu-

res

res *iactatus curru inanium quæstionum*, vt loquitur author hypognosticôn, *lapsusq; in fluctus vanæ contentionis & hæreseos, velut nauis deserta gubernaculo, per diuersa & incognita littora opinionum volutus, metuens tandem naufragii, reuertens, & in portu fidei Catholicæ, vbi me nulla posset fluctuosæ curiositatis, vel impietatis tempestas turbare vel mergere*, anchoram meam figere cupiens, ecce Apostolicæ sedis arcem adeo, flensque cogitata mea propono. Hic non secus atque olim Æneæ sociis Dido:

Soluite, inquit, *corde metum Teucri, secludite curas,* *Virgilius 1. Aeneidos.*
Seu vos Hesperiam magnam, Saturniaque arua,
Siue Erycis fines, regemque optatis Acesten,
Auxilio tutos dimittam, opibusq; iuuabo.
Vultis & his mecum pariter considere regnis?
Vrbem quam statuo vestra est, subducite naues.

Ita sanè mihi ad vnicas literas tota quasi Apostolica aula in occursum venit, meque complexa vlnis caritatis, noster inquit eris, abiice curas, tabentes sale artus in littore nostro pone: nauiculas tuas subducito: quacunq; in re tibi vsui esse poterimus, apertos inuenies thesauros misericordiæ nostræ: fouebimus te auxilio, defendemus præsidio.

Ad quæ omnia ego meritò hic iam in elogia erūpere debebam, Cardinalis Illustrissime, & celsis laudibus extollere tam insi-

gnem humanitatem & beneficentiam ve-ſtram. Sed quæ tanta poteſt eſſe, præſertim penes me balbum, dicendi facultas, quæ non ad tam vaſtũ laudum campum exhorreſcat, & exareſcat. Pontifex Opt. & Sanctiſs. tanquam alter. paterfamiliâs, videns à longè redire filiũ famelicum, ſiliquis porcorum ferè confectũ, miſericordia commotus accurrens ruit in collum meum, & oſculatus me proferri iubet ſtolam, qua induar, & calceamenta, quibus muniar: *quia filius*, inquit, *meus mortuus erat, & reuixit, perierat & inuentus eſt.* Non minus domeſtici eius Cardinales Illuſtriſs. plauſu replentur & gaudio, accurrunt, ſpectãt, lætãtur, ſalutant, *maiusq; gaudium eſt ſuper vno peccatore reſipiſcente, quã ſuper nonaginta nouem iuſtis, qui ſemper cum patre manentes pœnitentia non indiguerunt.* Hanc tantam tamque excellentem erga me pietatem humanitatemq;, nondum quidem coram, ſed literis tamen abundè teſtatã, quibus ego verbis prædicabo? quibus laudibus efferam? Lachrymæ admirantes, ſingultus approbantes exoriuntur pectori meo, nec quicquam poſſum, niſi, *veni, vide, mirare, gratulare.* S. ANTONIVS, cum ad eum ſcriberet Conſtantinus Magnus humilitatis admiratione abreptus, *Ecce*, inquit, *etiam reges & principes terræ ad nos ſcribunt.* Quanto magis ego miſerrimus peccator, vix è fuga domum rediens, & ne comparandus quidem ANTONIO, Viro ſanctitate & miraculis

culis clariſſimo, tanta beatitudine affectus, exclamare debeo: Ecce etiam ſummi Eccleſiarum præſules, paſtor ſummus ouilis dominici, illuſtriſſimi eius Cardinales, viri omni virtutum genere inſtructiſſimi ac ſanctiſſimi, ad me miſerum ſcribunt, ad me accurrunt, me complectuntur, me in manibus gerunt, inſtruunt, ad beneficiorum ſuorum meſſem inuitant. Cicerone hic aliquo laudatore opus eſt, noſtra nimis frigent. Et fortè nō par ſit ipſe *Tullius Romani maximus Eloquij*. Vos verò hæretici inuidentes, audete iam amplius Romæ exprobare faſtum: Ecce faſtuoſa non eſt, humilima eſt, benigniſſima eſt, miſericordiſſima eſt. Elati non ſcribunt ad humiles, etſi fortè benefaciant humilibus. Tu verò rumpere liuor iners, diſpergere, confundere, diſce pietatem habitare Romæ, non elationem. Triumphet anima mea in Domino DEO, qui tam bene mihi vult, qui auertit cæcitatem meam, tamq; liberali ſpe exilium meũ conſolatur. Iam quas Pontifici Maximo totique ſedi Apoſtolicæ pro commemoratis beneficiis gratias debeo, vellem quidem, ſed non poſſum exſoluere dignas. Tuam Illuſtr. Parrauicine in mea cauſa tuenda præclarè nauatam operam tacitus nullo modo præterire poſſum. Pro egregia enim animi tui erga Germaniam noſtram voluntate, non ſecus ac quatuor illi baiuli paralytici, *qui cùm non poſſent appropinquare Domino præ turba, nudauerunt tectum ædium, funi-*

busq; demissis grabbatum ante oculos eius statuerunt : Ita tu occupatissimo Pontifici & turba negotiorum quasi presso grabbatum litterarum mearum tanquam per medios parietes insinuasti, & commendasti, vtque tam citò & benignè responderet, indefesso tuo studio effecisti. Hoc tantum beneficium, cùm velim, nec possim satis dignè celebrare, partes meas commendo tibi omnipotētissime Deus, qui diues gratia & benedictione, *Beati*, inquis, *misericordes, quoniam misericordiam consequentur: & qui receperit Iustum in nomine Iusti, mercedem Iusti ac ipiet*, Augustæ Vindelic. Anno 1601.

EPISTOLA XIV.

DE INCOMPARABILI DAMNO GERMANIAE PER HODIERNAS hæreses illato.

ILLVSTRISSIMO AC REVERENDISSIMO,

D. CAESARI BARONIO SORANO, S.R.E. Presbytero Cardinali, Tit. SS. Martyrum Nerei & Achillei, sanctæ Apostolicæ sedis Bibliothecario, Domino suo clementissimo,

IVSTVS CALVINVS S.D.

INter priscæ crudelitatis exempla, Cardinalis Reuerendissime, nec non sanguinaria fauer-

ſæuerrimi iſtius aduerſus genus humanum hoſtis ſtratagemata, non poſtremum ſibi locum vendicant *Saturnalitiæ gladiatorum pugnæ, ac ludus matutinus Beſtiariorum*. Quorum quemadmodum illi, vel ad defunctorum manium propitiationem, vel ad conuiuiorum delectationem, vel ad luxum & magnificentiæ oſtentationem, denis, tricenis, aut etiam millenis ſæpe paribus, in foro, ſeptis circiſue, acutiſſimo inter ſeſe ferro concurrentes, de vita certabant: ita hi non benigniori fato, homines vel liberi in prælio capti, vel ſerui ad hanc lanienam educati, vel Chriſtiani denique ob fidem morti dediti, ad oblectandos impiorum hominum animos, oculosque crudelium tyrannorum, vel populi ſanguinem ſitientis obſaturandos, crudeliſſimis valentiſſimisque beſtiis obiecti, aduerſo cum illis Marte congredi, atque ab iis vel mortem vel victoriam deportare cogebantur.

Gladiatores.

Beſtiarii.

Acerbum ſanè ac triſte ſpectaculum! quod tantam cladem vaſtidiemque generi humano attulit, vt nullus menſis abierit, qui non *vicenis aut tricenis capitum millibus Europæ conſtiterit*. Quo nomine non ſapientioribus tantum Ethnicis horrori, ſed Chriſtianis inprimis imperatoribus tantæ obominationi fuit, vt nihil toto ſuo imperio execrabilius ſibi à maioribus traditum, nihil maiori cura prohibendum abrogandumque cenſuerint, quam dira illa & funeſta ſpectacula, *vbi*

Clades per gladiaturã.

Iuſtus Lipſ. libr. 1. Saturnal. cap. 12.

Gladiatura abrogatur.

Cypr. Epist. 1. ad Donat. *homo in hominis voluptatem occidebatur.* Ac laudis quidem huius potissima pars *Constantino Magno* adscribenda venit, cuius adhuc in codice sancta hæc lex extat: *Cruenta spectacula in otio ciuili & domestica quiete non placent. Quapropter omnino gladiatores esse prohibemus.*

Cod lib. 11. tit. 43.

Diabolus gladiaturæ loco hæreses excitat.

Sed vide malignissimi hostis nostri fraudes & astutias. Pro sua insatiabili ad humanum sanguinem hauriendum cupiditate, præreptam sibi gladiaturæ lanienam dolens, redintegrata acie, perniciosioribusque excogitatis armis, noua mundo munera, noua spectacula edere cœpit: & tum patrum, tum nostra inprimis memoria *Amphitheatris hæreseon extructis*, talem gladiaturam instituit, qua & corpora & animi hominum perpetuo dolore confecti macerarentur. Perruptis enim ecclesiæ repagulis, sensibusque hominum à fide & vnitate pristina deiectis, circos septaque cinxit, quibus omnis illa priscæ gladiaturæ facies, mentis errore, & hæresis furore depugnaret. Atque olim quidem quos huius farinæ homines in arenam produxerit, quàm bellè illi suum latrocinando munus exornarint, publicè notum est. Nunc hac nostra ætate triplici potissimum manu orbem Christianum depopulatur.

Lutherani.

Atque alios quidem dedit, vt ita loquar, *boreales*, *Lutheri* signa sequentes, sine culta armatura cæstibus tantum pugnantes, at-

que

que, vt ille ait, *stipitibus duris, sudibusque præustis.*

Alios australes & occiduos *Zvvinglio* & *Caluino* sacramento obstrictos, politissimisque & acutissimis instructos telis, ad integram quasi militiam sufficientibus. *Zvvingliani & Caluinistæ.*

Alios denique inter medios, *Mennone* duce in aquis pyratarum instar prædas agentes, & vt variorum signorum, ita vario quoque ferro pugnantes, præcipuè autem salutari fonte submergentes, quos è CHRISTI nauicula in suas cymbas pellexerunt. *Anabaptistæ.*

Triplex hæc gladiatoria manus, ita strenuè passim suum munus exercet, vt totam illam priscam familiam reuixisse putes. Alii enim veluti noui SECVTORES tanto spiritu cum rugiente illo leone gregem Domini insequuntur, ac cuspide linguæ mendacis, massaque plumbea calumniarum innoxios ecclesiæ præsules ita infestant, vt nemo quisquam eorum effugere furorem possit. Alii tanquam RETIARII & LAQVEARII tam blandè apertaque facie, sophismata sua incautis iniiciunt, vt priusquam hostem obseruarint, damnabili iam errore constricti, irretitique teneantur. Alii inhumanorum instar THRECVM ita ad seditiones & fundendum sanguinem assueti sunt, vt cum Catholicorum copia non datur, ipsis fratribus suis virulentum mucronem imprimant. *Comparatio hodiernarum hæreseon, cum prisca familia gladiatorum. Arma Secutorum. Retiariorum & Laqueariorũ arma. Threces.*

Eſſedarij & Andabatæ.

Alii tanquam ESSEDARII & ANDABATÆ, vel calumniarum plauſtris inſidentes, vel furoris & inſaniæ equis vecti, imperita ac cæca temeritate in medium veritatis clypeum feruntur, laxiſque habenis ſe & alios in æternam perniciem præcipitant. Tandem his omnibus accedunt quidam veluti MYRMILLONES, HOPLOMACHI & SAMNITES: quorum illis contra veritatem continuum impudentiæ tegimen, & ſecundum Apocalypſin *loricæ ferreæ*: His verò acies nouis doctrinarum inſignibus clara, & ſcuta magnificæ prædicationis auro cœlata, & galeæ criſtatæ, vt reſpondeant ſimilitudini *locuſtarum*, quas Iohannes vidit *ſimiles equis paratis in prælium, & ſuper capita habentes coronas aureas, faciesque vt facies hominum.*

Myrmillones, Hoplomachi, Samnites.

Apocal. 9.

Clades animarum per hæreticos.

Horum omnium cædes, vulnera, cadauera, rapinas, quas in omnibus mundi prouinciis quotidie agunt & hactenus egerunt, ſi quis dextro oculo intueatur, næ ille demum triſte ac luctuoſum ſpectaculum videre ſe fatebitur, omnium quotquot ſub ſole viuunt oculis deplorandum, & conatu maximo prohibendum. Nam quod olim corporibus hominum in *ſpectaculo meridiano* accidit: id demum hic animis eorundem & ſpiritibus maiori feritate contingit, vt rectiſſimè cum Seneca exclames: *Quidquid ante pugnatum eſt, miſericordia fuit, nunc omiſſis nugis mera homicidia ſunt,*

Epiſtola 7.

ſunt. Nihil habent quo tegantur, ad ictum totis corporibus expoſiti, nunquam fruſtra mittunt manum: non galea, non ſcuto repellitur ferrum. quò munimenta? quò artes? omnia iſta mortes meræ ſunt. Manè leonibus & vrſis homines: meridie ſpectatoribus ſuis obiiciuntur. Interfectores interfecturis iubentur obiici, & victorem in altam detinent cædem. Exitus pugnantium mors eſt. Hæc fiunt dum vacat arena. O veram viuamque ſpectaculorum noſtrorum Iconographiam! Quid enim? Hæreticus homo panoplia Diaboli inſtructus, fraude, mendaciis, technis ac blaſphemiis vndique obſitus ac tectus, cuius oculi nil niſi infernales ſpirant ignes, lingua præſentiſſimum virus fundit, manus Harpyiarum inſtar nefario contactu omnia fœdant, quas putas ſtrages edit, quanta vulnera animabus infligit? Ac tantò quidem magis, quantò fraudulentius omnia hic geruntur. Oſtendebant amphitheatra ſuum cuique hoſtem: qui cordatiores ac robuſtiores erant, propoſitum ſibi antagoniſtam ſubigebant, ac ſuam tutabantur vitam. Aſt hîc non hoſtis, non interfector, non bellum aut pugna, ſed pax & ſtatæ induciæ, omniaque blandiſſima & ſecuriſſima: quibus hominum mentes ineſcatæ, non tantum non galea, aut ſcuto repellunt ferrum, ſed obuio etiam pectore accipiunt, ipſique ſibi firmius imprimunt. O fatalem calamitatem! quis ſine lachrymis tantam ſtragem intuea-

Facilius gladiatori, quam hæretico obſiſtitur.

intueatur? Ecce enim, quocunque oculos conuertis,

Sanguine rorat humus, reboat clamoribus æther,
Sydera cæsorum sanguine clara rubent.
O Luthere caue, Caluine quiesce: reconde
Sicam, qui binis corpora tingis aquis.
Sæuitum satis est: Exhorret vulnera Phœbus,
Mergitur infernâ cymba charontis aqua.
Nec tantùm insano peregrinos perditis ense,
Vestra perit propriâ vita salusq; manu.

Scholæ præcipua hodiernorum hæreticorũ.

Sed iam operæ pretium puto, ludos quoque præcipuos horum lanistarum commemorare. Quemadmodum enim olim gladiatores in familia primum habiti altiq;, postea crescente numero & crebritate editionum in ludis quibusdam publicis vsum armorum condocefacti, & ad pugnam instituti sunt: ita etiam hæc noua manus intra priuatos nata parietes, paulò pòst publica facta sua καταγώγια & μονομαχοτροφεῖα nacta est, in quibus discit docetque quomodo Catholicam veritatem oppugnet, quo pede sese recipiat, & quomodo obuersa aduersariis in quantulo spatio resistat.

Anabaptistæ ferè sine ludo.

Primùmq; intermedii *Anabaptistæ* nulla Scholastica disciplina aut theatrali splẽdore clari, in lacunis, cauernis, agris, aut mediis etiã sæpe syluis discunt, docent, iugulãt, quot-

quot

quot ſimplicitatis ſuæ caſſibus induerunt.

At Lutherus tanquam ſicarius arcticus Saxonia occupata, quatuor ſibi ludos illuſtres conſtituit, quibus diſcant omnes, qui in vicinis poſtea Haſſiæ, Poruſſiæ, Sueuiæ, &c. finibus nomine eius verbi DEI rudibus batuant, homineſque ad mortis iter inſtituant. Ii ſunt *VVittenbergenſis, Lipſenſis, Ienenſis*, & tandem *Tubingenſis* Academiæ, virtutibus ita claræ, vt orationem noſtram ipſa multitudine ſua abſterreant. *Lutheri ſchola inſigniores quatuor.*

Iam Zvvinglius & Caluinus facto ſyncretiſmo familias ſuas coniunxerunt, & vt latioribus graſſari finibus poſſent, varios hinc inde per Galliam, Germaniam, Angliam, Belgium, ludos aperuerunt, è quibus quanta damna communi patriæ prouenerint, publicè ſatis conſtat. Præcipuam autem ſedem ac veluti arcem imperatoriam *in montibus Himeris* fixerunt, vbi leges præſcribentes & dictata dantes tantum diſcipulorum numerum colligunt, vt colonias poſtea aliò quoque mittant, nec vllus Germaniæ angulus ſuperſit, vbi non aliquis huius ſectæ tenebrio latitet, qui ſe data occaſione tanquam ex inſidiis prodat, ſuorumq; magiſtrorum ſpicula in obuios quoſque contorqueat. Hanc tantorum malorum officinam, quis eſt qui ignorare poſſit? Tu minuta Babylon, Apollineis inſignibus clara, ſcriptũ habens in fronte nomẽ myſteriũ: nega ſi potes, nega te matrẽ eſſe abomi- *Zvvinglii & Caluini Schola coniuncta ſed latè diſperſa.*

 nationum

nationum Dipnoſophiſticarum in omnibus terris: nega te myſteriis tuis, ſacramentariis erroribus tuis, quotquot vſquam familiæ huius ſunt, vel naſcendo peperiſſe, vel obſtetricando formaſſe, vel nutricando aluiſſe. Tu Hyrcana Tigris vbera admoues Gallis, vt ſpurii potius Caluini & Bezæ, quã ſoboles CHRISTI eſſe malint. Tu Britannos, Heluetios, Belgas inſtituis, vt domum reuerſi patria incendia alere, quàm pacificæ veritati locum dare pulchrius ducant. Inprimiſque hoc deteſtabili ſcelere fœcundus eſt *ludus ille magnus in vrbe*, calidus inſtitutione, denſus Tyrociniis, ſtultus peruerſa ſapientia: Inde tanquam ex equo Troiano innumerabiles patriæ incendiarii prodierunt. Hic ſementis vicinarum ditionum, hic meſſis, hic trituratio. O fatales Cellulæ, pingui ſagina ſordidæ, *quibus cibis corpora impletis inſuccum, vt carius pereant in pœnam*, ſuóque ſanguine fœcundent arenam! Quàm metuo Babylon, ne veniat ſuper te ſanguis omnium, qui à prædicato Euangelio aures præbuerunt ſeductoribus, malueruntque paucos ſequi cæcos ad perniciem, quàm multos oculatos ad ſalutem. Reſipiſce, reſiſce, *priora opera facito, ne moueatur candelabrum de loco ſuo.* Ablacta infantulos tuos, nec quære præmium obſtetricationis tuæ, ne flagella & tormenta inuenias. Ad perniciem inſtituis, ciboſque propinas venenatiſſima errorum toxica.

Nec

Nec te falle ſapientiæ tuæ perſuaſione, vano veritatis Eccleſiæque titulo ne tibi impone. Plures ſunt ſapientiores te, oculatiores, ſpiritu ditiores, qui te ſtultam eſſe dicunt & conuincunt. Audi mundum audientem Chriſtum: Crede mundo credenti Chriſto. *Magnum ipſe prodigium eſt, qui mundo credente non credit.* Neque hic Eccleſiæ DEI mos aut genius eſt, vt rupto quo cœpit filo, ad aliam tranſeat lineam, diuque latitans inter anguſta tandem & motibus inteſtinis referta ſpelæa concludatur vna eſt, ſancta eſt, Catholica & Apoſtolica eſt: regia eſt, in ſole collocata, mons magnus ab oriente in occidentem protenſus, ardentiſſimis luminibus lucidus. *S. Aug. lib. 22. de ciuit. Dei c. 8.* *Eccleſia natura.*

Tu autem qualis ſis cognoſce, parentes tuos intuere, facta tua contemplare. Ramus es ab arbore exciſus, humore iam caſſus, vitaque vacuus: ac niſi redieris ad arborem & inſeraris, ſuccumque ab radice tractum in flores & fructus conuertas, breui incendio ignis depaſcendus. Scripturam iactitas, vana eſt gloriatio: Extra Eccleſiam Scripturæ prętextus nullus eſt, nec poteſt habere ſenſum Chriſti, qui à corpore Chriſti auulſus adulteræ iungitur, promiſſionumque ſacramentis contradicit. *Auguſtinum* audi, Conſentio ſuo ſuadentem: *Intellectum valde ama, quia & ipſæ ſcripturæ ſanctæ, quæ magnarum rerum ante intelligentiam ſuadent fidem, niſi eas rectè intelligas; vtiles tibi eſſe* *Scriptura venditatio.* *Epiſt. 222.*

e s bi eſſe

bi esse non possunt. Omnes enim hæretici qui eas in authoritate recipiunt, ipsas sibi videntur sectari, cum suos potius sectentur errores: ac per hoc non quod eas contemnant, sed quod eas non intelligant hæretici sunt. Agnosce igitur culpam tuam, cerne vlcera tua, si quid habes, quo te muniri posse putas, scio totum *Donatisticum ac Nouatianum esse*, iam dudum voce scriptisque antiquitatis condemnatum, & Anathematizatum. Non credis scio, veni ergò & vide: lege antiquitatem, lege præter multa præclarissimos duos, *Cypriani & Augustini de vnitate Ecclesiæ libellos*: sed secutura lege, non præscriptura: abundè dubitationi tuæ satisfiet.

Sed certo scio, me surdo fabulam: ita perplacent sibi homines isti in erroribus suis, pulchrumque ducunt contradicere orbi terrarum, vt videantur magistri orbis terrarum: nec sicam è manibus deponent, donec *Cōstantinus* aliquis pro tribunali iubeat, fractisque threcidicis pacem orbi restituat.

Vetum ad prohibendos miseros ab heresi.

Quod vtinam breui à vobis experiri liceat, Illustrissimi Cardinales, vosque cæteri sanctissimi Ecclesiarum præsules, fortissimi patrię defensores ac Principes &c. ne pereant ita homines in æternum consultò. Quanquam stulti sunt ipsi, cœci, non intelligentes magna ex parte, quid vel agant, vel patiantur. Illecti à sicariis spectatum adeunt ludos, & priusquam animaduertunt, auribus

ribus oculiſque truncati, deinceps nec audire monentes nec cernere ferientes poſſunt. Quare veſtræ hæ partes ſunt, qui ſanis ſenſibus ſupereſtis, vt ſuccurratis neſcientibus vt excitetis dormientes; prohibeatis cæcos à præcipitio, ſtultos ab incendio, malè ſanos à laqueo, omnes à fraude & æterno exitio. Inprimiſq; tu æterne Deus, pater luminũ & intelligentiæ fons, cõcute hominũ iſtorũ corda, vt videant quomodo peregrinẽtur à te, & diruant ouile tuum. Fac quærãt cauſas ſeceſſionis ſuæ, an ſatis iuſtè inſectentur domum tuam, & dum quærunt inueniant veritatem tuam in ſanctis tuis & ſequantur: fac videant errorem & emendent impietatem, ament quos oderunt, laudent quos condemnarunt, ſequantur quos exhorruerunt, & ſalui fiant qui perierant, &c. Auguſt. Vindel. Anno 1601.

EPISTOLA XV.

CINTHIVS ALDOBRANDINVS, S. R. E. Cardinalis Tit. S. GEORGII, &c.

IVSTO CALVINO S.

ADmodum Magnifice & Ornatiſſime Domine, Paternum S. Dn. N. erga te animum declarare pergunt alteræ S. S. litteræ quas etiam mitto. Quid autem

Istæ secundæ Pontificis literæ hic omissæ sunt.

tem & ipse causa tua velim, mallem equidem solidis officiis, quàm verbis ostendere: & ostendam vel non rogatus, vbicunque se eius rei dabit facultas. Sic enim existimare debes, non solum me ex tua ad Catholicam fidem conuersione singulari quodam gaudio affectum, sed etiam statim erga te sic fuisse animatum, vt in te diligendo nemini eorum concedam, quos nosti esse tui amantissimos. Prioribus S. S. litteris ego itidem officii causa comites adiunxeram paucos versiculos, quos vnà tibi redditos arbitror. Vt vt sit, hosce denuò certissimòs testes habebis meæ in te propensissimæ voluntatis. Quod reliquum est, à Deo optimo maximo summis precibus contendo, vt quemadmodum mente & animo, sic etiam corpore perpetuo valeas, cui iterum omnia studia atque officia mea lubens defero ab polliceor. Romæ die 14. Iulii 1601.


EPISTOLA XVI.

CÆSAR BARONIVS SORANVS, S.R.E. Cardinalis, Tit. SS. Nerei & Achillei, &c.

IVSTO CALVINO S.

Clarissime Domine, Accepi literas tuas, ex quibus summum dolorem hausi, quòd te,

te, quem hoc tempore, quo itineri te commiseras, rectè valere optaueram, nunc in morbum incidisse intelligam. Equidem summoperè cuperem pluribus verbis te consolari, nisi scirem ea te fortitudine esse, vt à nullo potius, quàm à te alleuationem vllam debeas expectare; cùm omninò confidam, *infirmitatem hanc non esse ad mortem*, quod olim Dominus noster sororibus Lazari ægrotantis respondit, *sed pro gloria Dei.* Porrò cum S.D.N. egi de rebus tuis, qui ea propensione in te est animatus, vt nihil æque desideret, quàm vt omnia tibi cedant felicissimè. Quapropter bono animo esto. etsi enim constitutus sis (vt Paulus ait) *in labore, in ærumna, in vigiliis, in frigore, & nuditate*; confide tamen in Domino, sicut mons Syon, nam ipse opem feret super lectum doloris tui, & auferet à te languores & infirmitates pessimas. Ego verò, quamuis satis notum esse existimem, qua beneuolentia te tuaque negotia sim prosequutus, cupio intelligas, nihil mihi tam graue vnquam posse euenire, quod me ab hoc meo animo valeat auocare. Romæ Pridie Id. Quint. 1601.



EPISTO-

EPISTOLA XVIII.

Continens Apologiam priuatam ad parentes & neceſſarios.

AMPLISSIMIS, REVERENDIS, CLARISSIMIS ET HVMANISSIMIS, SVIS IN Palatinatu parentibus, amicis, ac neceſſariis

IVSTVS CALVINVS VETERAcaſt. Illuminantem DEI gratiam & perpetuam felicitatem.

ETſi probè ſcio, parentes amicique in Chriſto dilectiſſimi, non iucundiſſimum me vobis nuncium allaturum, quòd ab ea fide & religione, quam ex hiſce meis me palam amplexum intelligetis, toto quaſi cœlo, & pluſquam Vatiniano odio diſſidetis: tamen quia ipſi teſtes eſtis, pluris faciendum iuſtiſſimi DEI amorem, conſcientiæ tranquillitatem, & communem omnium noſtrum ſalutem, quàm fluxam aliquam, lubricam & perniciosſam in erroribus ſectandis concordiam: iuſta me ratione impuſum putaui, vt non ſolum ſecurus famæ, manifeſtiſſimæ DEI veritati, á qua longè aberraſſem, manus darem, ſed vobis etiam

& qui-

& quibusuis, quocunque in me animo affectis, causam meam, si possem, probarem, quæque in me vndique iaciuntur scommata, humaniter declinarem.

Enim verò, quòd tam tragicas aduersum me querelas excitastis, quòd tam sinistra & iniqua passim de me sparsistis, vel ab aliis sparsa temerè credidistis, non possũ sine maximo meo dolore meminisse. Sed vt ego iniurias omnes propter Christum voluntaria obliuione libentissimè conteram: sic vos ad medelam vulneris vestri, mea vobis emigratione inflicti cogitate, quæ hic causa agatur, quàm grauis, quàm periculosa, atque omni solicitudine peragenda.

Temporis æterni hîc, & non tantùm vnius horæ
Ambigitur status, in quo sit mortalibus omnis
Ætas, post mortem quæ restat cunq; manenda.

Lucretii verba paululùm à suo sensu dimota.

Primùm ergo, quod magno hiatu clamatis, me *contra diuina & humana iura, contra fidem & conscientiam meam, contra deniq; honestatem & humanitatem omnem, familiam, vocationem, ipsamq; Orthodoxam fidem & Ecclesiam deseruisse*: scitote ampullas verborum esse, sed fictiles & fragiles. Quod enim ius diuinum prohibet vsquam, adire Ecclesiam Catholicã, quã symbolo credere iubemur, & ex scriptura *domum Dei viuentis, columnã & firmamentũ veritatis esse* didicim⁹? nonnè

1. Tim. 3.

nonnè potius omnes paginæ & omnes lineæ eò respiciunt, vt nos è dispersione ad vnitatem colligant, & Christo fabricent Ecclesiam, *in qua non sint schismata, sed id ipsum dicant omnes, & sint omnes perfecti in eodem sensu, & in eadem sententia, vt vnanimes & vno ore honorificent Deum & patrem Domini nostri IESV Christi.* Neque nunc dicite, incertum adhuc esse, vbi sit Ecclesia, in vestris ne an nostris partibus. Aliter *Augustinus, non est operta Ecclesia,* inquit, *quia non est sub modio, sed super candelabrum, vt luceat omnibus qui in domo sunt. Et de illa dictum est, non potest ciuitas abscondi, super montem constituta. Sed Donatistis velut operta est, qui audiunt tam lucida & manifesta testimonia quæ illam toto orbe demonstrant: & malunt clausis oculis offendere in montem, quàm in eum ascendere: qui cum esset lapis præcisus de monte sine manibus, creuit, & factus est mons ingens, & impleuit vniuersam terram.* Iam si pontificum iura pro sacris agnoscitis, profectò inclementer habebimini. Legite *librum 5. Decretalium Gregorii*, per integra sedecim capita, inuenietis quæ ad hanc caussam opportuna sunt. Quibus omnibus si addatis expressum disertumque summi in hisce terris vicarii Christi ad me mandatum, (cuius obedientia mihi instar legum omnium est) quod quæso ius reperiri potest sacrum; consiliis meis vel minima ex parte aduersum? Humana iura quantoperè læserim, iu-

1. Cor. 1. 10.

De Vnitat. Eccles. c.16.

NB. Aug. non Iesuitæ, dictum Domini de ciuitate in monte posita, Eccles. applicat. Matth. 5.

rim, iudicent rerum periti. Nulla gens eſt tam fera aut barbara, quæ ſine diſcrimine alterius præſentiſſima vitare pericula, & longius potius quàm propè ab incendio conſiſtere vetet? Si conuictus in conſcientia, fidē veſtram erroneam eſſe, perſtitiſſem tamen apud vos, & turbata pace publica animi ſenſa paſſim defendiſſem, potuiſſetis ne gratam mei habere præſentiam? potuiſſem ne ego habere tutam? ergo præſtitit potius ἐκ βελέων abire tranquillè, quàm cum turbis & clamoribus in carceres. Secundo loco fidem & conſcientiam meam petitis, putantes vel religionis ſtatuta, vel promiſſorum conuenta, vel deniq; interioris pectoris dictamina à me neglecta & rupta eſſe. Qua in re nimium veſtris iniquiſſimis ſuſpicionibus indulgetis. Vſquam ne fides eſt, quę nō animę immortalitatem propoſitam habeat, & vel præmia bonorum, vel pœnas malorum operum? poteſtiſne igitur conſcientiæ meæ tam iniqui arbitri eſſe, vt quam hactenus in veſtro errore integram ſaluamq; iudicaſtis, nunc in Chriſti fide læſam cauteriatamque pronunciare audeatis? non non ita impio corde ſumus, vt Dei metum tam viliter habeamus, & contrà quàm mens seriò credat, cum huius & futuræ vitæ periculo, patrio ſolo exules profiteamur. Nemo Cyclops poſitum in viſceribus ſuis tribunal Dei tam faſtuosè euerterit. Fortaſſe rudera illi ſua neſciunt, qui in alieno fundo tam

altas turres non suspicantur. Dominus igitur iudicabit causam meam, & occulta cordium patefaciet, ac dabit vnicuique secundum sinceritatem animi sui: cui quæso ne quisquam se humana leuitate præponat, & propterea quod ipse laxiores habet animi habenas, nos nullas habere existimet.

De affectatis honoribus & lucro, familiaris vilisque calumnia est, cum qua non mihi soli sed multis aliis, ac fortè vobis ipsis concertandum. *Augustinus* hanc ipsam inuidiam passus, cùm à Manichæis recessisset, *& paucis agellulis paternis contemptis, ad DEI liberam seruitutem esset conuersus*, Epist. 225. ad Albinam. *Ego*, inquit, *secundum multorum sensum, comparantium semetipsos sibimet ipsis, non diuitias dimisisse, sed ad diuitias videor venisse. Vix enim vigesima particula res mea paterna existimari potest, in comparatione prædiorum Ecclesiæ, quæ nunc vt Dominus existimor possidere.* Vtinam ergò vos à calumniandi libidine tam remoti, quàm purus est à cupiditate per Dei gratiam animus meus, nunquam mihi istam litẽ moueretis.

Honestatem & humanitatem erga liberos, sanè dulcissimos mihi, totamque familiam, adeo nihil abieci, vt etiam abiectam resumpserim demũ, & verè induerim, quemadmodum ipsi cognosceretis, *nisi magis in oculis cor haberetis, quàm in corde.* Quæ enim maior honestas est, pietate & ordinaria cha-

August. lib. 1. contra Epist. Parmen. cap. 8.

ritate

ritate ? quæ autem ordinaria charitas, niſi quæ minora poſtponit maioribus, & animam magis curat, quàm fortunam. Non ego in morte relinquere debebam filios, quibus per me vitam ſeculi huius dederat Dominus, & vitam, quod ſpero, dabit ſeculi futuri. Quæ res etſi multo conſtat labore, non tamen à me trahi ad otium, nec à vobis debet ad inuidiam. Nullus hic humanis affectibus locus, nullus parentum amori, nullus amicorum ſtudiis, nullus periculorum formidini, ſed vnica diuini numinis reuerentia, grata veritatis cultura, conueniensque æternitatis metus totam ſuo arbitrio cauſam moderatur, nec vel minimum de ſuo iure remittit: Sanè ſi quæritis, inficias ire non poſſum, vehementer hæc conſilia mea variis affectibus quaſſata eſſe. Nunc enim tua chariſſime parens, ſeptuagenaria canities ſuccurrebat: nunc matris vnicè in me recumbentis fletus, nunc fratrum ſororumque anxietas, nunc liberorum & familiæ periculum, nunc amicorum totiuſque familiæ quaſi labaſcens fama & exiſtimatio.

Sed quæſo vos per Deum, cariſſima capita, quid facerem? parcerem ne vobis, & mihi non parcerem? parerem ne voluntatibus veſtris, & Deo immorigerus eſſem? Cauerem ne pericula fortunarum, & me cum liberis meis ac familia in ſempiternũ exitium præcipitarem? Apageſis profana cura, noxia

Matth. 10. reuerentia: cum Deo mihi res eſt, *qui poteſtatem habet animam & corpus perdendi in gehennam.* Huic malo cum periculo & famæ iactura ſeruire, quàm glorioſus detrudi in infernum, *vbi eſt fletus & ſtridor dentium perpetuus. Pulchrum eſt periculum ad Deum tranſfugere: &, quod Seneca* quoq, iubet. *Conſcientiæ ſatisfiat, nihil in famam laboremus: ſequatur vel mala, dum benè mereamur.*

Clemens in Protreptico. Seneca.

Neque hunc animum impietati mihi dabitis, cariſſimi, aut leuitati. CHRISTVS ſic docuit Matth. 10. *qui amat patrem aut matrem plus quàm me, non eſt me dignus.* Moſes ſic docuit, *Deut. 33. qui dixerit patri ſuo aut matri ſuæ, neſcio vos, & fratribus ſuis, ignoro illos, & neſcierunt filios ſuos, hi cuſtodierunt eloquium tuum, & pactum tuum ſeruauerunt, iudicia tua ô Jacob, & legem tuam ô Iſrael.*

S. CHRYSOSTOMVS ſic docuit hom. 36. in Matth. *In omnibus obtemperandum eſt parentibus, præterquam in iis, quæ pietati officiunt. Et doctrina Saluatoris, qui amat patrem, &c. & credentes filios maioris animi facit, & patres remiſſiores ac leniores, ne ab amore* CHRISTI *liberos dimouerent, videntes tantas eſſe ipſius vires, vt facilè poſſit à parentibus filios eripere.*

D. HIERONYMVS ſic docuit, Epiſt. 1. ad Heliodorum: *Licet paruulus ex collo pendeat nepos, licet paſſo crine & ſciſſis veſtibus, vbera quibus te nutrierat mater, oſtendat, licet in li-*

in limine pater iaceat, percalcatum perge patrem, siccis oculis ad vexillum crucis euola. Solum pietatis genus est, in hac re esse crudelem.

Denique AVGVSTINVS sic docuit Epist. 38. ad Lætum, *qui amat animam suam, perdet eam in isto seculo, in vita æterna inueniet: ita de parentibus rectissimè dicitur, vt qui eos amat, perdat eos, non more parricidarum interficiens, sed spiritali gladio verbi DEI carnalem affectum eorum, quo & seipsos, & eos quos genuerunt, irritamentis huius seculi obligare conantur, piè fidenterque percutiens & occidens, illud in eis viuere faciat, quo fratres sunt, quò cum filiis suis temporalibus, parentes æternos DEVM Ecclesiamque cognoscant. Ecce rapit te studium veritatis cognoscendæ, atque percipiendæ voluntatis DEI in Scripturis sacris. Rapit Euangelicæ prædicationis officium. Dat signum Dominus, vt vigilemus in castris, & ædificemus turrim, de qua hostem sempiternæ vitæ & prospicere & propellere valeamus. Rapit militem CHRISTI tuba cœlestis ad prælium, & retinet mater: Non plane talis, qualis Maccabæorum fuit, nec saltem similis Lacedæmoniis matribus, de quibus memoriæ traditum est, quod filios suos, vt pro terrena patria sanguinem funderent, multò amplius atque ardentius in certamina bellica, quàm signorum sonitus excitabant. Nam mater quæ te ad discendam vitam remoueri à curis secularibus non permittit, satis ostendit, quemadmodum te,*

si opus esset, ad obeundam mortem penitus seculum repudiare permitteret. Sed quid dicit, aut qui allegat? Forte decem illos menses, quibus viscera eius onerasti, & dolores parturitionis, ac labores educationis? Hoc hoc interfice verbo salutari, hoc perde matris, vt in vitam æternam inuenias eam. Hoc memento vt oderis in ea, si diligis eam, si Tyro Christi es, si turris fundamenta posuisti, ne dicant transeuntes: Hic homo cœpit ædificare & non potuit perficere. Carnalis enim affectus est iste, & adhuc veterem hominem sonat. Hunc carnalem affectum & in nobis & in nostris militia Christiana vt perimamus hortatur, nec tamen vt ingratus sit quisque parentibus; & eadem ipsa beneficia, quibus in vitam hanc editus, susceptus, atque nutritus est, enumerata derideat: seruet potius vbique pietatem, Habent hæc locum, vbi maiora non vocant. Mater Ecclesia mater est matris tuæ. Hæc nos de Christo concepit, hæc martyrum sanguine parturiuit, hæc in sempiternam lucem peperit, hæc fidei lacte nutriuit, cibosque maiores præparans, quod adhuc paruuli & sine dentibus vagire vultis horrescat;

Luc. 14

Iam de vocatione & religione vestra, res facilis & expedita est. Etsi enim in ea natus & educatus sum, non tamen propterea in eadem persistere aut mori debui, nisi salutarem fuisse demonstraueritis. Nascimur omnes filii ADAM, nascuntur multi in gentilis-

tiliſmo, multi in Turciſmo, aut Iudaiſmo, nec tamen in illo rectè perſiſtunt ſtatu, quia aliud eſt naſci in Eccleſia malignantium, aliud per communionem Catholicæ Eccleſiæ regnum intrare cœlorum. Meminerimus extra repagula nati per oſtium intrare ouile, vt ſit *grex vnus & paſtor vnus*, & qui perſequutores erant cum Saulo, paſtores defenſoresq; cum Paulo euadant.

Nec leuitas in mutanda ſententia vlla eſt. *Cùm enim non omnes poſſint habere primas prudentiæ, habeant ſecundas modeſtiæ: vt qui non valuerunt omnia impœnitenda credere ſaltem pœniteant, quæ cognorint credenda non fuiſſe.* *Auguſt. in prolo. Retract.*

Neque ignorare poteſtis, fœdè multos in adoleſcentia hallucinari, cùm infirmis adhuc iudiciis, & nulla experientia aut literatura cultis, de re omnium grauiſſima conſtituunt, & ad quamcunque ſunt Religionem, vel caſu, vel neceſſitate delati, ad eam tanquam ad ſcopulum adhæreſcunt. A quorum ego ſtultitia alienus, maturioris ætatis maturiora conſilia ſequutus, DEIque ductu melius & felicius agnitam veritatem amplexatus, prioribus erroribus meis æternum vale nunciaui, meamque anchoram in tutiſſimo Eccleſiæ Catholicæ portu fixi. Iuuante CHRISTO, ſuadente conſcientia, trahente AVGVSTI-

Lib. 6. NO, aut quicunque author eſt librorum Hypognoſticôn, *Si iactatus curru inanium quæſtionum cadis in fluctus vanæ contentionis, & velut nauis deſerta gubernaculo per diuerſa & incognita littora volueris, nec prorſus ibi proſpere nauigare potes, reuertere, & ſede in portu fidei Catholicæ, vbi te nulla poſſit fluctuoſa cogitationis tempeſtas turbare & mergere.*

Quod tam ſalutare conſilium, quod apoſtaſiæ conuitio ſuſpectum mihi reddere conamini, fruſtrà laboratis. Errores enim relinquere, & ignoratam diu amplexari veritatem, non apoſtaſia, ſed neceſſaria ſapientia eſt. Alioqui Paulus quoque Iudaiſmo valedicens, & Auguſtinus Manichæorum caſtra deſerens, non electionis vaſa, vel columnæ Eccleſiæ, ſed leuiſſimi transfugæ, & vt vultis, apoſtatæ nuncupandi eſſent. Sed tutamur nos illo Cypriani contra Nouatianos: De Vnitate Eccleſiæ. *Non nos ab illis, ſed illi à nobis receſſerunt. Illi enim diuerſa ſibi conuenticula ſtatuerunt, illi veritatis caput atque originem reliquerunt, Cathedram Petri, ſuper quam fundata eſt Eccleſia.* Eodem modo ſi vos vnitatem Eccleſiæ, quæ teſte eodem Cypriano, *adulterari non poteſt*, multò minus in Antichriſtianiſmum degenerare, firmiter & conſtanter tenuiſſetis, nec cum Luthero & Caluino Apoſtatæ facti eſſetis, non mihi iam veſtrum crimen exprobraretis.

Iam communicato quod vultis me cum aliis

aliis conſilio egiſſe, valdè miror. Quod enim fidem attinet, adhibui ſanè in conſilium multos, ſed quos cautè & ſine damno poteram. Conſului patres in antiquitate: conſului fratres in ſuis aduerſus Catholicos diſputationibus: quin & cum multis coram ſententias contuli. Nullũ tamen aliud ex omnibus iudicium facere potui, quàm quod facto ſequutus ſum. De profectionis verò, non clancularię, ſed publicæ, & apertæ, multisq; honeſtiſſimis comitibus perſpectæ, conſilio detegendo, planè eſtis inconſiderati. Cùm enim *regnum Dei theſaurus ſit abſconditus in agro, quem repertum homo abſcondit, & præ gaudio quod habet ſuper eo, abit, & omnia quæcunque habet vendit, & mercatur agrum illum:* Ego dies noctesque Catholicorum fodiens arua, Theſaurum ibi veritatis defoſſum reperi, maiorum noſtrorum calumniis tanquam grandi lapidum aceruo obrutum. Hunc vt garrulitate perderem aut proſtituerem, nihil erat. Quin potius lentè incedendum prudenterque agendum duxi, ne conſilio meo deiectus, irrecuperabilem iacturam facerem.

Hactenus ergo nullum apud Deum reatum, nullam infamiam apud bonos mihi conciliaui, niſi qui imperiti rerum arbitri eſſe volunt. Quod autem vobis conuerſionem meam dedecori, & Eccleſiæ ſcandalo ducitis, profectò plurimum à vero aberratis. Dedecus inurit, qui malè facit. Offendi-


culum Ecclesiæ parit, qui ad impietatem lacessit. Ego neutrum facio, vtrumque contra. Atque vt breuiter cum Paulo dicam, *optarim omnes esse sicut ego sum*, non cauda mutilos, vt vos ex Æsopo luditis, sed fide integros, & veritate fortes, & constantia firmos, vt agnoscant vnam sanctam Catholicam & Apostolicam Ecclesiam: extra quam qui vitam finit, non magis saluari potest, quàm qui olim diluuii tempore extra Noë arcam vel in montibus, vel arborum cacuminibus refugium quæsiuerunt.

Quocirca carissimi, vt & ipsi lectis Catholicæ fidei propugnatoribus, meum in timore Domini exemplum sequamini, vosq; è dispersione ad vnitatem Catholicam omni cunctatione abiecta aggregetis, quantum possum ac debeo, per salutem vestram vos obtestor. *Aug. epist. 137. ad Cel.* *Quàm in concussis enim documentorum firmamentis omnis Nouatorum vanitas conuincatur, non magnum est etiam tardis ingenio, si tantum patienter aut intentè audierint, peruidere. Sed ad sectandam insolitam rectitudinem, vsitatæ & quasi familiaris peruersitatis vinculum abrumpere, maiorum virium est.* Quare expergiscimini, carissimi, expergiscimini, spectate lucentem toto orbe manifestissimæ veritatis solem: damnate tenebras, eligite lucem, vt filii lucis sitis, subtrahite collum diabolo, & subdite Christo, qui Iudex futurus orbis, beatitudine sempiterna afficiet Ecclesiam, hæreticos autem, schismaticos,

ticos, & reprobos omnes æternis ſuppliciis mactabit. Nec putate vos ratiunculis veſtris, & σεσοφισμένοις λόγοις, contra hæc tam manifeſta & aperta ſaluos fore. Folia ficulnea ſunt: *& foris ſufflantes in pulverem, excitabitis terram in oculos veſtros*, Iudiciumque vobis grauius accerſetis: Tanto quidem grauius, quantò à me fideliùs eſtis moniti. Sermo enim hic quem de munere Dei, nouit ipſe quanta & pacis & veſtri dilectione, deprompſi, teſtis erit, ſi nolitis, correctio verò ſi velitis. *August. 12. Confeß. c. 16.*



S. AVRE-



S. AVRELII AVGVSTINI

HIPPONENSIS EPISCOPI, ET DOCTORIS ECCLESIAE præcipui

EPISTOLÆ DVÆ,

PRÆSENTI ARGVMENTO congruentiſſimæ, &c.

EPISTOLA XLVIII. ad Vincentium.


Argumentum Epiſtolæ.

Auguſtinus Vincentio ex hæreſi Rogatiana, docens ſe fuiſſe aliquando eius ſententiæ, vt arbitraretur cum hæreticis nulla vi, ſed ſolo Dei verbo agendum, verum aliorum ſententiis & exemplis ſuperatum, mutaſſe ſententiam; & arbitrari leges principum rectè implorari aduerſus hoſtes fidei, modò id fiat animo corrigendi, non ſtudio vindicandi, aliaq́ multa contra anabaptiſmum Donatiſtarum, & pertinaciam illorum.

EPI-

EPISTOLA XLVIII.

Dilectissimo fratri Vincentio Augustinus.



CCEPI epiſtolam, quam tuam eſſe mihi non incredibile viſum eſt. Attulit enim eam, quem Catholicum Chriſtianum eſſe conſtaret, qui (vt opinor) mihi mentiri non auderet. Sed ſi fortè non ſunt literę tuæ, ego ei qui ſcripſit, reſcribendum putaui. Nunc me potius quietis eſſe auidum & petentem, quam nunc cum me adoleſcentem viuo adhuc Rogato cui ſucceſſiſti, apud Carthaginem noueras. Sed Donatiſtæ nimium inquieti ſunt, quos per ordinatas à Deo poteſtates cohiberi atq; corrigi, mihi non videtur inutile. Nam de multorum iam correctione gaudemus, qui tam veraciter vnitatem Catholicam tenent atq; defendunt, & à priſtino errore ſe liberatos eſſe lætantur, vt eos cum magna gratulatione miremur. Qui tamen neſcio qua vi conſuetudinis nullo modo mutari in melius cogitarent, niſi hoc terrore perculſi, ſollicitam mentem ad cōſiderationem veritatis intenderent, ne fortè ſi non pro iuſtitia, ſed pro peruerſitate, & præſumptione hominum ipſas temporales moleſtias, infructuoſa, & vana tolerantia pate-

Dubius tabellarius.

33. q. 4. nimium.

De verbis Domini ſermo. 6.

Quatenus cogi ad fidē expediat.

paterentur, apud Deum postea non inuenirent, nisi debitas pœnas impiorum, qui eius tam lenem admonitionem, & paterna flagella contemserint. Ac sic ista cogitatione dociles facti, non in calumniis & fabulis humanis, sed in diuinis libris promissam per omnes gentes inuenirent Ecclesiam, quam suis oculis reddi conspicerent, in quibus & CHRISTVM prænunciatum, etiam non visum, super cælos esse minimè dubitarent. Nunquid nam ego istorum saluti inuidere debebam, vt collegas meos ab huiusmodi paterna diligentia reuocarem, per quam factum est, vt multos videamus accusare suam pristinam cæcitatem? qui eum super cœlos exaltatum Christum, etiam non videntes credebant: gloriam tamen eius super omnem terram, etiam violenter negabant, cùm propheta vtrunque vna sententia tanta manifestatione complexus sit, dicens: *Exaltare super cœlos Deus, & super omnem terram gloria tua.* Istos ergo atroces quondam inimicos nostros, pacem & quietem nostram variis violentiarum & insidiarum generibus infestantes, si sic contemneremus & toleraremus, vt nihil omninò, quod ad eos terrendos ac corrigendos valere posset, excogitaretur & ageretur à nobis, verè malum pro malo redderemus.

Ecclesiæ latitudo.

Psal.107.6.

Vtile malè instructos etiam seuerius ad fidem perducere.

Si enim quisquam inimicum suum periculosis febribus phreneticum factum, currere videret in præceps, nonnè tunc potius

Elegans simile.

23.q.q.nimium.

tius malum pro malo redderet, si eum sic currere permitteret, quàm si corripiendum ligandumque curaret, & tamen tunc ei molestissimus & adversissimus videretur, quando vtilissimus & misericordissimus extitisset? Sed planè salute reparata tantò vberius ei gratias ageret, quantò sibi eum minus pepercisse sensisset.

Exempla conuersorũ ex ipsis Circumcellionibus.

O si possem tibi ostendere, ex ipsis Circumcellionibus, quám multos iam Catholicos manifestos habeamus, damnantes suam pristinam vitam & miserabilem errorem, quo se arbitrabantur pro Ecclesia Dei facere, quicquid inquieta temeritate faciebant, qui tamen ad hanc sanitatem non perducerentur, nisi legum istarum, quæ tibi displicent vinculis, tanquam phrenetici ligarentur. Quid illud alterum genus morbi grauissimi eorum, qui turbulentam quidem audaciam non habebant, sed quadam vetusta socordia premebantur, dicentes nobis: Verum quidem dicitis, non est quod respondeatur, sed durum est nobis traditionem parentum relinquere: nonnè salubriter regula temporali molestiarum excutiendi erant, vt tanquam de somno lethargico emergerent, & in salutem vnitatis euigilarent? Quàm multi ex ipsis nunc nobiscum gaudentes, pristinum pondus pernitiosi sui operis accusant, & fatentur nos sibi molestos esse debuisse; ne tanquã mortifero somno,

Exempla aliorum ignauorum.

no, ita morbo veternosæ consuetudinis interirent. At enim quibusdam ista non prosunt: nunquid ideo negligenda est medicina, quia nonnullorum est insanabilis pestilentia? Tu non attendis nisi eos qui ita duri sunt, vt nec istam recipiant disciplinam. De talibus enim scriptum est; *Frustra flagellaui filios vestros, disciplinam non receperunt.* Puto tamen quia dilectione non odio flagellati sunt. Sed debes etiam tam multos attendere, de quorum salute gaudemus. Si enim terrerentur & non docerentur, improba quasi dominatio videretur. Sed rursus si docerentur, & non terrerentur, vetustate consuetudinis obdurati ad capessendam viam salutis pigrius mouerentur: quandoquidem multi, quos benè nouimus, reddita sibi ratione & manifestata diuinis testimoniis veritate, respondebant nobis, cupere se in Ecclesiæ Catholicæ communionem transire, sed & violentas perditorum hominum inimicitias formidare, quas quidem pro iustitia, & pro æterna vita vtique contemnere debuerunt. Sed talium infirmitas donec firmi efficiantur sustinenda est, non desperanda. Nec obliuiscendum, quod ipse Dominus adhuc infirmo Petro ait: *Non potes me modò sequi, sequeris autem postea.* Cùm verò terrori vtili doctrina salutaris adiungitur, vt non solum tenebras erroris lux veritatis expellat, verùm etiam malæ consuetudinis

Occupatio.

Non omnes sanantur eo remedio.

Ier. 2. 30.

Doctrina cum terrore coniungenda.

Ioan. 13. v. 36.

vincula

vincula vis timoris abrumpat, de multorum, ſicut dixi, ſalute lætamur, benedicentiũ nobiſcum, & gratias agentium Deo, quod ſua pollicitatione completa, qua reges terræ Chriſto ſeruituros eſſe promiſit, ſic curauit morbidos, ſic ſanauit infirmos. *Non omnis qui parcit, amicus eſt: nec omnis qui verberat, inimicus. Meliora ſunt vulnera amici, quàm voluntaria oſcula inimici. Melius eſt cum ſeueritate diligere, quàm cum lenitate decipere.* Vtilius eſurienti panis tollitur, ſi de cibo ſecurus iuſtitiam negligat, quàm eſurienti panis frangitur, vt iniuſtitiæ ſeductus acquieſcat. Et qui phreneticum ligat, & qui lethargicum excitat, ambobus moleſtus ambos amat. Quis nos poteſt amplius amare, quàm Deus? Et tamen nos non ſolum docere ſuauiter, verùm etiam ſalubriter terrere non ceſſat. Fomentis lenibus quibus conſolatur, ſæpe etiam mordaciſſimum medicamentum tribulationis adiungens, exercet fame patriarchas etiam pios & religioſos, populum contumacem pœnis grauioribus agitat. Non aufert ab Apoſtolo ſtimulum carnis tertiò rogatus, vt virtutem in infirmitate perficiat. *Diligamus etiam inimicos noſtros,* quia hoc iuſtum eſt, & hoc præcepit Deus, *vt ſimus filii patris noſtri, qui in cœlis eſt, qui facit ſolem ſuum oriri ſuper bonos & malos, & pluit ſuper iuſtos & iniuſtos.* Sed ſicut iſta dona eius laudamus, ita etiam flagella eius in eos quos diligit, cogitemus. Putas nemi-

Elegans ſententia.

Prou. 27.6.

Gratia Dei tribulationibus permiſta.

1. Cor. 12. 9.

Mat. 5. 43.

nem debere cogi ad iuſtitiam, cùm legas patrem familiâs dixiſſe ſeruis: *Quoſcunq; inueneritis, cogite intrare*: cùm legas etiã ipſum primò Saulum, poſtea Paulum, ad cognoſcendam & tenendam veritatem, magna violentia Chriſti cogentis eſſe compulſum? niſi fortè chariorẽ putas hominibus eſſe pecuniam vel qualemlibet poſſeſſionem, quàm lucem iſtam quæ oculis carpitur. Hanc ille cœleſti proſtratus voce ſubitò amiſſam non recuperauit, niſi cùm ſanctæ incorporaretur Eccleſiæ. Et putas nullam vim adhibendam eſſe homini, vt ab erroris pernicie liberetur? cùm ipſum Deum quo nemo nos vtilius diligit certiſſimis exemplis facere videas, & Chriſtum audias, dicentem, *Nemo venit ad me, niſi quem pater attraxerit:* quod fit in cordibus omnium, qui ſe ad eum diuinæ iracundiæ timore conuertunt: & noueris aliquando furem auertẽdis pecoribus pabulum ſpargere, & aliquando paſtorem flagello ad gregem pecora errantia reuocare. Nonne contumacem ancillam data ſibi poteſtate, Sara potius affligebat? Et vtiq; non eam quam ſuperius beneficio ſuo matrem fecerat, crudeliter oderat, ſed in ea ſuperbiam ſalubriter edomabat. Non autẽ ignoras, quod iſtæ duæ mulieres Sara & Agar, & duo filii earum Iſaac & Iſmaël, pro ſpiritalibus & carnalibus figurentur? Et cùm legamus ancillam & filium eius à Sara paſſos graues moleſtias, Paulus tamen Apoſtolus dicit, quod ab Iſmaële perſequu-

Luc. 14. Actor. 9. 5. Ioan. 6. 44. Gen. 16. Gal. 4. 24. Gal. 4. 29.

ſequutionem ſit paſſus Iſaac. *Sed ſicut tunc,* inquit, *ille qui erat ſecundum carnem, perſequebatur eum qui erat ſecundum ſpiritum, ita & nunc*: vt qui poſſunt intelligant, magis Eccleſiam Catholicam perſequutionem pati ſuperbia & impietate carnalium, quos temporalibus moleſtiis atq; terroribus emendare conatur. Quicquid ergo facit vera & legitima mater, etiamſi aſperum amarúmq; ſentiatur, non malum pro malo reddit, ſed bonum diſciplinæ expellendo malum iniquitatis apponit, non odio nocendi, ſed dilectione ſanandi. *Cum boni & mali eadem faciunt, eademque patiuntur, non factis & pœnis, ſed cauſis vtique diſcernendi ſunt.* Pharao populum Dei duris laboribus atterebat: Moyſes eundem populum impiè agentem duris coërcitionibus affligebat: ſimilia fecerunt, ſed non ſimiliter prodeſſe voluerunt: ille dominatione inflatus, iſte zelo inflammatus eſt. Iezabel occidit prophetas, Helias occidit pſeudoprophetas. Puto quod diuerſa ſunt merita facientium, & diuerſa paſſorum. Aſpice etiam tempora noui teſtamenti, quando iam ipſa manſuetudo charitatis nō ſolùm in corde erat ſeruanda, verū etiam in luce monſtranda, quando Petri gladius in vaginā reuocatur à Christo, & oſtenditur non debuiſſe de vagina eximi nec pro Chriſto. Legimus tamē non ſolùm, quod cæciderunt Iudæi Paulū Apoſtolum, verū etiam quod cæciderunt & Græci pro Paulo Apoſtolo Soſthenē Iudæū. nonne ſimilitudo

Exod. 5. 9. *Exod. 32. 27.* *3. Reg. 18. 4. & 40.* *Matt. 26. 52* *Act. 19. 23 & 16. 19.* *Act. 18. 17.*

facti quaſi vtroſque coniungit, & tamen eos cauſæ diſſimilitudo diſcernit? *Nempe Deus proprio filio ſuo non pepercit, ſed pro nobis om-*
Rom.8.32. *nibus tradidit illũ.* Nempe de filio ipſo dici-
Gal.2.20. tur? *Qui me dilexit, & tradidit ſemetipſum pro me.* Nempe & de Iuda dicitur, *quòd introiret*
Ioan.13.2. *in eum ſatanas, vt traderet Chriſtum.* Cùm ergo & pater tradiderit filiũ ſuum, & ipſe Chriſtus corpus ſuum, & Iudas Dominum ſuum, cur in hac traditione Deus eſt pius, & homo reus, niſi quia in re vna quam fecerunt, cauſa non vna eſt, ob quam fecerũt? Tres cruces in loco vno erant: in vna latro liberandus, in alia latro damnandus, in media Chriſtus alterũ liberaturus, alterũ damnaturus. Quid ſimilius iſtis crucibus? Quid diſſimili⁹ iſtis pẽ-
Act.16.23. dentibus? Traditus eſt Paulus includẽdus & colligandus. Sed quolibet cuſtode carceris peior eſt vtique ſatanas, cui tamen ipſe Pau-
1.Cor.5f. lus *tradidit hominem in interitum carnis, vt ſpiritus ſaluus ſit in die Domini IESV.* Et hic quid dicimus? Ecce mitiori tradidit crudelis traditor, crudeliori tradidit miſericors traditor. Diſcamus frater in ſimilitudine operum diſcernere animos operantiũ, nec clauſis oculis calumniemur, & beneuolos pro nocentibus accuſemus.

Item cùm ait idem Apoſtolus, *tradidiſſe ſe*
1.Tim.1.20. *quoſdam ſatanæ, vt diſcerent non blaſphemare,* malum pro malo reddidit, an potius malos etiam per malum emendare, bonum opus eſſe iudicauit? Si ſemper eſſet laudabile perſequutio-

quutionem pati, sufficeret Domino dicere, *Beati qui persecutionem patiuntur, nec adderet, propter iustitiam.* Item si semper esset culpabile persecutionem facere, non scriptum esset in sanctis libris, *Detrahentem proximo suo occultè, hunc persequebar.* Aliquando ergo & qui eam patitur, iniustus est, & qui eam facit, iustus est. Sed planè semper & mali persecuti sunt bonos, & boni persecuti sunt malos. Illi nocendo per iniustitiam, illi consulendo per disciplinã. Illi immaniter, illi temperanter. Illi seruientes cupiditati, illi charitati. Nam qui trucidat, non considerat, quemadmodum laniet, qui autem curat considerat, quemadmodum secet. Ille enim persequitur sanitatem, ille putredinem. Occiderunt impii prophetas, occiderunt impios & prophetæ. Flagellauerunt Iudæi Christum, Iudæos flagellauit & Christus. Traditi sunt Apostoli ab hominibus potestati humanæ, tradiderunt & Apostoli homines potestati satanæ. In his omnibus quid attenditur, nisi quis eorum pro veritate, quis pro iniquitate, quis nocendi causa, quis emendandi. Non inuenitur exemplum in Euangelicis & Apostolicis literis, aliquid petitũ à regibus terræ pro Ecclesia, contra inimicos Ecclesiæ: quis negat non inueniri? Sed nondum implebatur illa prophetia. *Et nunc reges intelligite, & erudimini qui iudicatis terram, seruite Domino in timore.* Adhuc enim illud implebatur, quod in eodem Psalmo paulò superius

23. q. q. nimium.

Psal. 100. 5

NB. Occupatio. Quod scriptura non faciat mentionem implorati auxilii secularis.

Psal. 2. 10. 1

rius dicitur: *Quare fremurunt gentes, & populi meditati sunt inania, Astiterunt reges terræ, & principes conuenerunt in vnum aduersus Dominum & aduersus Christum eius.* Veruntamen si facta præterita in propheticis libris figuræ fuerunt futurorum, in rege illo qui appellabatur Nabuchodonosor, vtrunque tempus figuratum est, & quod sub Apostolis habuit, & quod nunc habet Ecclesia. Temporibus itaq; Apostolorum & Martyrum illud implebatur quod figuratum est, quando rex memoratus pios vel iustos cogebat adorare simulachra, & recusantes in flammas mittebat. Nunc autem illud impletur quod paulò post in eodem rege figuratum est, cùm conuersus ad honorandum Deum verum, decreuit in regno suo, *vt quicunque blasphemaret Deum Sidrac, Misac, & Abdenago, pœnis debitis subiaceret.* Prius ergo tempus illius regis significabat priora tempora regum infidelium, quos passi sunt Christiani pro impiis. Posterius verò tempus illius regis, significauit tempora posteriorum regum iam fidelium, quos patiuntur impii pro Christianis. Sed planè in eis, qui sub nomine Christi erant seducti à peruersis, ne fortè oues Christi sint errantes, & ad gregem aliter reuocandæ sint, temperata seueritas & magis mansuetudo seruatur, vt coërcitione exiliorũ atq; damnorum tribulatione admoneantur considerare, quid & quare patiantur, & discant præponere rumoribus

Dan. 3. 96.

N. B. Ecclesia non semper debet pati.

moribus

moribus & calumniis hominum ſcripturas quas legunt. Quis enim noſtrum, quis veſtrum non laudat leges ab Imperatoribus datas aduerſus ſacrificia paganorum? Et certè longè ibi pœna ſeuerior conſtituta eſt, illius quippe impietatis capitale ſupplicium eſt. De vobis autẽ corripiendis atq; coërcendis habita ratio eſt, quo potius admoneremini ab errore diſcedere, quàm pro ſcelere puniremini. Poteſt enim fortaſſè etiã de vobis dici, quod ait Apoſtolus de Iudæis? *teſtimonium illis perhibeo, quia Zelum Dei habent, ſed non ſecundùm ſcientiam, ignorantes enim Dei iuſtitiam & ſuam volentes conſtituere, iuſtitiæ Dei non ſunt ſubiecti.* Quid enim aliud, & vos quàm veſtram iuſtitiam conſtituere vultis, quando non dicitis iuſtificari niſi eos qui à vobis potuerunt baptizari? In hac ergò Apoſtolica ſententia, quam de Iudæis protulit, hoc diſtatis à Iudæis, quod vos habetis ſacramenta Chriſtiana, quibus illi adhuc carent. Cæterum ad hoc quod ait, *Ignorantes Dei iuſtitiam, & ſuam volentes conſtituere, & quod Zelum Dei habent, ſed non ſecundum ſcientiam,* pares eſtis omninò, exceptis duntaxat illis, quicunque in vobis ſunt, ſcientes quid verum ſit, & pro animoſitate ſuæ peruerſitatis contra veritatem etiam ſibi notiſſimam dimicantes.

Leges aduerſus paganos.

Rom.10.2.

Horum quippe impietas etiam idololatriam forſitan ſuperat. Sed quia non facilè conuinci poſſunt, (in animo namque latet

hoc malum) omnes tanquam à nobis minus alieni leniori ſeueritate coërcemini. Et hoc quidem vel de omnibus hæreticis, qui Chriſtianis ſacramentis imbuuntur, & à Chriſti veritate ſiue vnitate diſſentiunt, vel Donatiſtis omnibus dixerim Quod autem ad vos attinet, qui non ſolum cum illis communiter Donatiſtæ à Donato, verùm etiam propriè Rogatiſtæ à Rogato appellamini, mitiores quidem eſſe videmini, quia cũ Circumcellionum immaniſſimis gregibus non ſæuitis, *ſed nulla beſtia ſi neminem vulneret, propterea manſueta dicitur*, quia dentes & vngues non habet. Sæuire vos nolle dicitis, ego non poſſe arbitror. Ita enim eſtis numero exigui, vt mouere vos contra aduerſarias vobis multitudines non audeatis, etſi cupiatis. Sed ponamus, vos etiam nolle quod non valetis, ponamus vos Euangelicam ſententiam, qua ſcriptum eſt: *Si quis tibi voluerit tunicam tollere, & iudicio tecum contendere, dimitte illi & pallium*: ſic intelligere, ſic tenere, vt perſequentibus vos non ſolum nulla iniuria, verùm etiam nullo iure reſiſtendum putetis: hunc certè intellectum Rogatus autor veſter aut non habuit, aut non impleuit: qui de neſcio quibus rebus vt dicitis veſtris acerrima perſeuerantia etiam forenſi diſceptatione conflixit. Cui ſi diceretur, quis vnquam Apoſtolorum in cauſa fidei res ſuas iudicio publico defendit, ſicut tu in Epiſtola tua poſuiſti? quis vnquam Apoſtolorũ

NB. (margin, beside "gues non habet")

Matt. 5. 40. (margin, beside "tiam, qua ſcriptum eſt")

ſtolorum in cauſa fidei res alienas inuaſit? nullum quidem in diuinis literis huius facti reperiret exemplum, ſed tamen forte inueniret aliquam veram defenſionem, ſi veram Eccleſiam retineret, & non ſub Eccleſiæ veræ nomine impudenter aliquid poſſideret. Quod autem pertinet ad terrenarum poteſtatum iuſſa, contra ſchiſmaticos aut hæreticos vel imploranda vel exercenda, illi quidem à quibus vos ſeparaſtis acerrimi fuerunt, & contra vos (quantum audire potuimus) & contra Maximianiſtas, quod geſtorum etiam certis documentis probamus: ſed tamen nondum ab eis ſeparati eratis, quando Iuliano Imperatori in ſua petitione dixerunt, quod apud eum ſola iuſtitia locum haberet, quem certè apoſtatam nouerant, & idololatriis deditum ſic videbãt, vt aut iuſtitiam eſſe idololatriam faterentur, aut ſceleratè mentitos, negare non poſſent, vt apud eum dicerent ſolam locum habere iuſtitiam, apud quem magnum locum cernerent habere idololatriam. Sed fuerit error in verbo, de facto ipſo quid dicis? Si nihil iniuſtum ab imperatore petendum eſt, cur à Iuliano petitum eſt, quod iniuſtum putatum eſt? An hoc petendum eſt, vt ſua quiſque recuperet, non vt aliquem quo ab Imperatore coërceatur, accuſet? Interim & in ſuarum rerum recipiendarũ repetitione ab Apoſtolicis exẽplis receditur, quia hoc feciſſe nemo inuenitur illorum. Sed tamen cùm maiores

Iulianus Apoſtata.

g 5 veſtri

Cæcilianus Episcopus.

vestri ipsum *Cæcilianum* tunc Ecclesiæ Carthaginensis Episcopũ cui tanquã criminoso cõmunicare noluerunt, apud principẽ *Constantinum*, per Anulinũ procõsulem accusauerunt, non res suas amissas repetiuerunt, sed innocentem (sicut existimamus, & sicut ipse iudiciorũ exitus docuit) calumniosè appetiuerunt. Quo quid sceleratius ab eis fieri potuit? Si autẽ (sicut falsò arbitramini) verè criminosum indicãdum terrenis potestatib. tradiderũt, quid nobis obiicitis, ꝙ vestrorum præsumptio primitus fecit: quod eos nõ argueremus q̃a fecerunt, si non animo inuido & noxio, sed emendandi & corrigendi voluntate fecisset. Vos autem indubitanter arguimus, quibus crimen videtur de inimicis communionis nostræ, Christiano Imperatori aliquid conqueri, cùm libellus à maioribus vestris Anulino proconsuli datus & Constantino Imperatori mittendus, ita supra scriptus sit: *Libellus Ecclesiæ Catholicæ, criminum Cæciliani, traditus à parte Maiorini.* Illos autem magis hinc arguimus, quia apud Imperatorem vltrò Cæcilianum accusauerunt, quem prius apud collegas transmarinos conuincere debuerunt, ipso autem Imperatore longe ordinatius agente, vt episcoporum causam ad se delatã, ad Episcopos mitteret, nec victi pacem cum fratribus habere voluerunt, sed rursus ad eundem Imperatorem venerunt, rursus non Cæcilianum tantum, verùm etiam datos sibi Episcopos iudices

Libellus criminum Cæciliani.

Imperator causam Episcoporum mittit ad Episcopum.

iudices apud terrenum regem accuſauerunt. Rurſus ab alio Epiſcopali iudicio ad eundem Imperatorem appellauerunt. Nec eo ipſo inter partes cognoſcente atq; iudicante, vel vnitati, vel paci cedendum eſſe duxerũt. Quid autem aliud ſtatueret Conſtantinus aduerſus Cæcilianum & ſocios eius, ſi eſſent veſtris maioribus accuſantibus victi, quàm quod ſtatuit in eos ipſos, qui cum vltrò accuſaſſent? nec ea quæ intendebant, probare potuiſſent, Noluerunt enim vnitati conſentire, nec victi. Ille quippe Imperator primus conſtituit in hac cauſa, *vt res conuictorum & vnitati peruicaciter reſiſtentium, fiſco vendicarentur.* Sed videlicet ſi veſtris maioribus accuſantibus atque ſuperantibus contra communionem Cæciliani imperator tale aliquid decreuiſſet, prouiſores Eccleſiæ, defenſores pacis & vnitatis nominari velletis. Cùm verò in eos qui vltrò accuſantes nihil probare potuerunt, nec oblato ſibi gremio pacis, quo corecti exciperentur conſentire voluerunt, ab imperatoribus talia decernuntur, indignum facinus clamitatur, neminen ad vnitatem eſſe cogendũ malum ꝓ malo reddendum nemini eſſe cõtenditur. Quid eſt aliud q̃ id quod de vobis quidã ſcripſit, *quod volumus ſanctũ eſt?* Et nunc nõ erat magnum, neq; difficile conſiderare atq; cogitare Conſtantini iudicium atque ſententiam contra vos vigere, quæ veſtris maioribus Cæcilianum apud imperatorem totiens accu-

Hæreticorũ inconſtantia in eligendo & reprobando iudice.

23. q. 7. Nomium.

Παντα ἀντιςρέφει.

Hemiſtichium Tychonii

accuſantibus, & non conuincentibus, aduerſus vos promulgata eſt:eamq; neceſſariò ſi qui cæteros Imperatores, maximè Catholicos Chriſtianos, quoties de vobis aliquid agere veſtræ obſtinationis neceſſitas cogit. Facile erat iſta cogitare, vt vobis ipſis aliquádo diceretis: Si Cæcilianus vel innocens fuit, vel nocens, & conuinci non potuit, quid in hoc negotio tam longè latèq; diffuſa ſocietas Chriſtiana peccauit? Cur orbi Chriſtiano nó licuit ignorare, quod non potuerunt qui accuſauerant demonſtrare? Cur illi, quos Chriſtus in agro ſuo, id eſt in hoc mundo ſeminauit, & inter zizania creſcere vſq; ad meſſem præcepit: cur tot milia fidelium in omnibus gentibus, quorum multitudinem ſtellis cœli & arenæ maris Dominus comparauit, quos in ſemine Abrahæ benedicendos promiſit & reddidit, propterea negantur eſſe Chriſtiani, *quia in hac cauſa, in qua diſcutienda non interfuerunt, iudicibus potius ſuo periculo iudicantibus, quàm victis litigatoribus credere maluerunt?* Certè nullius crimen maculat neſcientem. Quomodo fideles toto orbe diffuſi, crimen traditorum cognoſcere poterant, quod accuſatores etiã ſi nouerant, tamen eis oſtendere non valebant? Hos ergo ab hoc crimine innocentes eſſe, nempe ipſa ignorantia facilimè oſtendit. Cur ergo innocentes falſis criminibus accuſantur, quia crimina aliena ſeu falſa, ſeu vera neſcierunt? Quis locus innocentiæ reſeruatur, ſi crimen eſt proprium, neſcire

Orbis Christianus huius vel illius præpositi sceleribus nõ maculatur.

NB.
23. q. q. nimium.
1. q. q. nullius.

nescire crimen alienum? Porro si tot gentium populos ipsa ignorantia (sicut dictum est) innocentes ostendit, quàm magnum crimen est ab istorum innocentium communione separari? Nam & facta nocentium, quæ innocentibus demonstrari, vel ab innocentibus credi non possunt, non inquinant quenquam, si propter innocentium consortium etiam cognita sustinentur. *Non enim propter malos boni deserendi, sed propter bonos mali tolerandi sunt*: sicut tolerauerunt prophetæ, contra quos tanta dicebant, nec communionem sacramentorum illius populi relinquebant: sicut ipse dominus nocentem Iudam vsq; ad condignum eius exitum tolerauit, & eum sacram Cœnam cum innocentibus communicare permisit: sicut tolerarunt Apostoli eos, qui per inuidiam (quod ipsius Diaboli vitium est) Christum annunciabant: sicut tolerauit Cyprianus collegarum auaritiam, quam secundum Apostolum appellat idololatriam. Postremò quicquid tunc inter illos Episcopos gestum est, etiam si fortè ab aliquibus eorum sciebatur, si non sit acceptio personarum nunc ab omnibus ignoratur. Cur ergo nunc ab omnibus pax amatur? Hæc facillimè cogitare possetis, aut fortasse etiam cogitatis, sed melius erat, vt amaretis possessiones terrenas, quas timendo perdere cognitę veritati consentiretis, quàm vt amaretis vanissimam hominum gloriam, quam vos putatis perdere,

23. q. 4 Nimium & cap quam magnum.

Communio orbis non deserenda propter malos.

Exempla prophetarũ & aliorũ.

dere, ſi cognitæ veritati conſentiretis. Vides itaq; iam (vt opinor) non eſſe conſiderandũ, quod quiſq; cogitur, ſed quale ſit illud quo cogitur, vtrum bonum an malum: non quo quiſq; bonus poſſit eſſe inuitus, ſed timendo quod non vult pati, vel relinquit impedientem animoſitatem, vel ignoratã compellitur cognoſcere veritatem, vt timens vel reſpuat falſum, de quo contendebat, vel quærat verũ quod neſciebat, & volens teneat iam quod nolebat. Supfluo hoc fortaſſe diceretur quibuslibet verbis, ſi non tam multis oſtenderetur exemplis. Non illos aut illos homines, ſed multas ciuitates videmus fuiſſe. Donatiſtas, nũc eſſe Catholicas, deteſtari vehementer diabolicam ſeparationem, diligere ardenter vnitatem. Quæ tamen timoris huius, qui tibi diſplicet, occaſionibus Catholicæ factæ ſunt per leges Imperatorum, à Conſtantino apud quem primũ veſtri vltrò Cæcilianum accuſauerunt, vſq; ad præſentes Imperatores, qui iudiciũ illius quem veſtri elegerunt, quem iudicibus Epiſcopis prætulerunt, iuſtiſſimè contra vos cuſtodiendum eſſe decernunt. His ergo exemplis à collegis meis mihi propoſitis ceſſi. Nam mea primitus ſententia erat, neminem ad vnitatẽ Chriſti eſſe cogendum, verbo eſſe agendum, diſputatione pugnandum, ratione vincendum, ne fictos Catholicos haberemus, quos apertos hæreticos noueramus. Sed hæc opinio mea, nõ contradicentium verbis, ſed demonſtrantium ſuperabatur

23. q. 6. Vides.

Exempla integrarũ vrbium, á Donatiſtis per metum pœnarum ad Catholicas ſeparatarum.

Prima Auguſtini ſententia, de non cogendis hæreticis.

rabatur exemplis: nam primò mihi opponebatur ciuitas mea, quæ cùm tota esset in parte Donati, ad vnitatem Catholicam timore legum imperialium cõuersa est, quam nunc videmus ita huius vestræ animositatis perniciem detestari, vt in ea nunquam fuisse credatur. Ita aliæ multæ, quæ mihi nominatim commemorabantur, vt ipsis rebus agnoscerem etiam in hac causa rectè intelligi posse, quod scriptum est: *da sapienti occasionem, & sapientior erit.* Quàm multi enim quod certò scimus, iam volebant esse Catholici, manifestissima veritate commoti, & offensionẽ suorum reuerendo quotidie differebant. Quàm multos non veritas (in qua nunquã præsumpsistis) sed obduratæ cõsuetudinis graue vinculum colligebat, vt in eis compleretur diuina illa sententia? *Verbis non emendabitur seruus durus, si enim & intellexerit, non obediet.* Quàm multi propterea putabant veram Ecclesiã esse partẽ Donati, quia eos ad cognoscendam Catholicam veritatẽ securitas torpidos, fastidiosos, pigrosq; faciebat. Quàm multis aditum intrandi obserabant rumores maledicorũ, qui nescio quid aliud nos in altare Dei ponere iactitabant. Quã multi nihil interesse credẽtes in qua quisq; parte Christianus sit, ideo permanebãt in parte Donati, quia ibi nati erant, & eos inde discedere, atq; ad Catholicam nemo transire cogebat. His omnib. harum legũ terror, quibus promulgandis reges seruiunt Domino in timore, ita profuit,

Prou. 9. 9. *Nß.*

Vulgares causæ quib. multi à Catholica vnitate etiam hodie, proh dolor, detinentur.

Prou. 19. 19.

Nota bene.

profuit, vt nunc alii dicant, iam hoc volebamus. Sed Deo gratias, qui nobis occaſionem præbuit, iamq; faciendi & dilationum morulas amputauit: alii dicant, Hoc eſſe verũ iam ſciebamus, ſed neſcio qua conſuetudine tenebamur. Gratias domino, qui vincula noſtra dirupit, & nos ad pacis vinculũ tranſtulit. Alii dicant, neſciebamus hic eſſe veritatem, nec eam diſcere volebamus, ſed nos ad eam cognoſcẽdam metus fecit intentos, quo timuimus ne fortè ſine vllis rerum æternarum lucris damno rerum temporalium feriremur. Gratias Domino, qui negligentiam noſtram ſtimulo terroris excuſſit, vt ſaltem ſoliciti quæreremus, quod ſecuri nunquam noſſe curauimus. Alii dicant, nos falſis rumoribus terrebamur intrare, quos falſos eſſe neſciremus, ſi non intraremus: nec intraremus, niſi cogeremur. Gratias Domino, qui trepidationem noſtram flagello abſtulit, expertos docuit, quàm vana & inania de Eccleſia ſua mendax fama iactauerit. Hinc iam credimus & illa falſa eſſe, quæ authores huius hæreſis criminati ſunt, quãdo poſteri eorum tam falſa & peiora finxerunt. Alii dicant, putabamus quidem nihil intereſſe, vbi fidem Chriſti teneremus: ſed gratias Domino, qui nos à diuiſione collegit, & hoc vni Deo congruere, vt in vnitate colatur, oſtendit. His ergo dominicis lucris impediendis, ad contradicendum me opponerem collegis meis, ne in montibus & collibus veſtris, id eſt, in tu-

moribus

moribus ſuperbiæ veſtrę, Chriſti oues errantes in pacis ouile colligerentur, vbi eſt vnus grex & vnus paſtor. Ita ſanè huic prouiſioni cõtradicere debui, ne res quas dicitis veſtras, perderetis, & ſecuri Chriſtum proſcriberetis: vt iure Romano teſtamenta conderetis, & iure diuino patribus conditum teſtamentum, vbi ſcriptum eſt. *In ſemine tuo benedicentur omnes gẽtes*, calumnioſis criminationibus rumperetis: vt in emptionibus & venditionibus liberos contractus haberetis, & vobis diuidere, quod Chriſtus emit venditus, auderetis: vt quod quiſq; veſtrûm cuiquam dònaſſet, valeret, & quod donauit Deus deorũ, *à ſolis ortu vſq; ad occaſum vocatis filiis non valeret*, vt de terra corporis veſtri in exiliũ non mitteremini, & de regno ſanguinis ſui, *à mari vſq; ad mare*, & à flumine vſq; ad terminos orbis terræ Chriſtum exulem facere conaremini? imò verò *ſeruiant reges terræ Chriſto*, *etiam leges ferendo pro Chriſto*. Maiores veſtri Cæcilianum, & ſocios eius regibus terrę puniendos falſis criminibus obiecerunt: conuertantur leones ad comminuenda oſſa calumniantium, nec Daniel ipſe intercedat innocens comprobatus, & de lacu, quo illi pereunt, liberatus. Qui enim parat proximo ſuo foueam, ipſe iuſtius cadet in eam. Eripe te frater, dum in hac carne viuis, ab ira quę ventura eſt pertinacibus & ſuperbis. Terror temporalium poteſtatum, quando veritatem oppugnat, iuſtis fortibus glorioſa probatio

Eccleſiæ latitudo.

Regum leges pro Chriſto.

Nota bene.

 batio

batio eſt, infirmis periculoſa tentatio, quando autem veritatem prædicat errantib. cordatis vtilis admonitio eſt, & inſenſatis inutilis afflictio. *Non eſt tamē poteſtas niſi à Deo: qui autem reſiſtit poteſtati, Dei ordinationi reſiſtit. Principes enim nō ſunt timori bono operi, ſed malo. Vis autem non timere poteſtatem? Bonum fac, & habebis laudem ex illa.* Siue enim poteſtas veritati fauens aliquem corrigat, laudem habet ex illa qui fuerit emendatus: ſiue inimica veritati in aliquem ſæuiat, laudem habet ex illa qui victor fuerit coronatus. Tu autē non bonum facis, vt timere non debeas poteſtatem, niſi fortè bonum eſt ſedere, & non aduerſus fratrē detrahere, ſed aduerſus fratres omnes in omnibus gētibus conſtitutos, quibus teſtimonium perhibent Prophetę, Chriſtus, Apoſtoli: cum legitur; *In ſemine tuo benedicentur omnes gentes: cùm legitur ab ortu ſolis vſq; ad occaſum ſacrificium mundum offertur nomini meo, quoniam glorificatum eſt nomen meum in gentibus, dicit Dominus.* Audi, dicit Dominus, nō dicit Donatus, aut Rogatus, aut Vincentius, aut Hilarius, aut Ambroſius, aut Auguſtinus: ſed dicit Dominus: cùm legitur: *Et benedicentur inter omnes tribus terræ, omnes gentes magnificabunt eum: Benedictus Dominus Deus Iſrael, qui fecit mirabilia ſolus: Et benedictum nomen gloriæ eius in æternum, & in ſeculum ſeculi: Et replebitur gloria eius omnis terra, fiat fiat.* Et tu ſedes Cartennis, & cum decem Rogatiſtis, qui remanſiſtis, dicis: non fiat, non

Rom. 13. 1.

NB. Eccleſia latitudo aſtruitur ex ſcripturis, contra hereticorum anguſtias.

Gen. 26. 4.
Malac. 1. 11.

Pſal. 71. 17. 18. 19.

non fiat, Audis loqui Euangelium; *oportebat impleri omnia quæ scripta sunt in lege & Prophetis, & Psalmis de me: & tunc aperuit illis sensum, vt intelligerēt scripturas; & dixit eis. Quoniam sic scriptum est, & sic oportebat pati Christū, & resurgere à mortuis tertia die, & prædicari in nomine eius pœnitentiam & remissionem peccatorum per omnes gentes, incipientibus ab Hierusalem.* Legis etiam actus Apostolorum, quemadmodū hoc Euangelium cœperit ab Hierusalem, vbi primò illos centū viginti Spiritus sanctus impleuit, atq; inde in Iudæam atque Samariam, & in omnes gentes exierit, sicut eis dixerat ascensurus in cœlum; *Eritis mihi testes in Hierusalem, & in tota Iudæa & Samaria, & vsq; in fines terræ: quia in omnem terram exiuit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum.* Et tu contradicis diuinis testimoniis tanta firmitate roboratis, tanta luce manifestatis, & ad istam præscriptionem Christi hęreditatem perducere conaris: vt cùm in eius nomine (sicut dixit) pdicetur pœnitentia in omnib⁹ gentib. quisquis hac fuerit prædicatione commotus, in qualibet parte orbis terrarum, nisi quæsierit & inuenerit latētem in Mauritania Cæsariensi Cartennensem Vincentiū, aut aliquem ex eius nouē aut decem consortibus, dimitti ei peccata non possint. Quid non audeat typhus morticinę pelliculæ, quò non se pcipitet præsumptio carnis & sanguinis? Hoccine est bonum opus tuum; propter quod non timeas potestatem? tan-

Luc. 24. 44

Act. 1.8.

NB.

tum ſcandalum ponis aduerſus filium matris tuæ, paruulum ſcilicet & infirmum, propter quem Chriſtus eſt mortuus, nondum cibo paterno idoneum, ſed adhuc materno lacte nutriendum: & Hilarii libros mihi opponis, vti neges Eccleſiam creſcentem in omnibus gentibus vſque in finem ſeculi, quam Deus contra incredulitatem veſtram cum iuratione promiſit? Et cum eſſetis infeliciſſimi, ſi tunc quando promittebatur reſiſteretis, nunc etiam cum redditur, contradicitis. Sed hiſtoricus doctus magnum aliquid inueniſti, quod contra Dei teſtimonia proferendum putares. Dicis enim quantum ad totius mundi pertinet partes, modica pars eſt compenſatione totius mundi, in qua fides Chriſtiana nominatur: nec vis attendere, aut te noſſe diſſimulas, in quam multas iam barbaras nationes tam paruo tempore venerit Euangeliũ, vt nec inimici Chriſti dubitare iam poſſint breui tempore futurum, quod diſcipulis reſpondit de ſeculi fine quærentibus. *Et prædicabitur hoc Euangelium in vniuerſo orbe, in teſtimonium omnibus gentibus, & tunc veniet finis.* Nunc & clama & cõtende quantum potes, etiamſi apud Perſas & Indos Euangelium prædicetur, vbi quidem iam diu prædicatur, niſi quiſquis hoc audierit Cartennas venerit, vel in viciniam Cartennenſium, mundari omnino à delictis ſuis non poterit: ita ne ſi carueris iſta voce, rideri te metuis: & cùm ea non careas, fleri te non vis?

Obiectio Donatiſt. contra ſuperiora.

Acutum

Acutum autem aliquid videris dicere, cùm *Catholicæ nomen non ex totius orbis communione interpretaris, sed ex obseruatione præceptorũ omnium diuinorum, atq; omnium sacramentorum*: quasi nos etiam si fortè hinc sit appellata Catholica, quod totum veraciter teneat, cuius veritatis nonnullæ particulæ etiam in diuersis inueniuntur hæresibus, huius nominis testimonio nitamur ad demonstrandum Ecclesiam in omnibus gentibus, & non promissis Dei, tam multis tamq; manifestis oraculis ipsius veritatis. Sed nempe hoc est totum, quod nobis persuadere conaris, solos remansisse Rogatistas, qui Catholici rectè appellari possint, ex obseruatione præceptorum omnium diuinorum, atq; omnium sacramentorum: & vos esse solos, *in quibus inueniat fidem cum venerit filius hominis*. Da veniam, non credimus. Licet enim & hoc audeas forsitan dicere, vt in vobis possit inueniri fides, quàm se in terra non inuenturum Dominus dixit, & nõ vos in terra, sed in cœlo esse deputandos, nos tamen Apostolus ita cautos reddidit, *vt etiam angelum de cœlo nobis aliud euangelizantem, præterquam quod accepimus, anathema debere esse præceperit*. Quomodo autem confidimus ex diuinis literis accepisse nos Christum manifestum, si non inde accepimus & Ecclesiam manifestam? Quaslibet quisq; ansas & vncos aduersus simplicitatem veritatis intexat, quaslibet nebulas callidæ falsitatis offundat, sicut ana-

NB. Alia obiectio, de significatione vocabuli Catholici, quæ hodie nouatorib. vsitatißima.

Attende lector.

Luc. 18. 8.

Galat. 3. 8.

Ecclesia non minus manifesta quàm ipse Christus.

thema erit, qui annunciauerit Christum neque passum esse, neque tertia die resurrexisse, quoniam in veritate Euangelica accepimus: oportebat Christum pati, & resurgere à mortuis tertia die: *Sic erit anathema quisquis annunciauerit Ecclesiam præter communionem omnium gentium*: quia eadem veritate consequenter accepimus, *& prædicari in nomine eius pœnitentiam & remissionem peccatorum per omnes gentes, incipientibus ab Hierusalē*: & inconcussè tenere debemus, quisquis vobis annunciauerit, præterquam quod accepistis anathema sit. Si autē vniuersos Donatistas non audimus, se pro Ecclesia Christi supponētes, quia nullum pro se testimoniū de diuinis libris proferunt, quo id doceant: quanto minus rogo te Rogatistas audire debemus, qui nec illud pro se interpretari conabūtur, quod scriptum est: *vbi pascis, vbi cubas in meridie?* Si n. hoc loco scripturarum meridies Africa intelligenda est, in parte Donati, quæ sub cœli feruentiori plaga est, omnes vos Maximianistæ superabūnt, quorū schisma in Byzantio, & in Tripoli exarsit. Sed confligant cum eis Arzuges, & hoc magis ad se pertinere contendant; Mauritania tamen Cæsariensis, occidētali quam meridianæ parti vicinior, quando nec Africā se vult dici, quomodo de meridie gloriabitur? non dico aduersus orbem terrarum, sed aduersus ipsam partem Donati, vnde pars Rogati breuissimum frustū de frusto maiore præcisū est. *Quis autē non impudētissi-*

NB.

Luc. 24. 46. & 47.

Cant. 1. 7. *Vulgare Donatistarum* χρηςφύγετον.

mè

mè nitatur aliquid in allegoria positũ pro se interpretari, nisi habeat & manifesta testimonia quorum lumine illustrentur obscura? Quod autem omnibus Donatistis dicere solemus, quantò vobis fortius dicimus: si possunt (quod fieri non potest) aliqui habere causam iustam, qua communionem suam separent à communione orbis terrarum, eamq; appellent Ecclesiam Christi, quod se iustè ab omnium gentium communione separauerint: vnde scitis in Christiana societate, tam longè latèque diffusa, ne fortè antequam vos separaretis, iam se aliqui iusta causa separauerint in longinquissimis terris, vnde ad vos eorum iustitiæ fama non potuerit peruenire? Quomodo in vobis potest esse Ecclesia, potiusq̃ in illis, qui se priores fortè separauerunt? Ita fit vt cum hoc nescitis incerti, vobismetipsis sitis: quod necesse est contingat omnibus, qui pro sua societate vtũtur testimonio non diuino sed suo. Neq; n. potestis dicere, si hoc cõtigisset, nos latere non posset, cùm in Africa ipsa, quod iam partes factæ sint ex parte Donati, si interrogemini non dicatis: presertim quia tantò sibi videntur, qui hoc faciunt iustiores, quantò fuerint pauciores, & vtiq; tantò sunt latentiores. Ac p hoc incerti estis, ne fortè aliq pauci iusti & ideo minimè noti, alicubi longè cõtra Africę meridiem, anteq̃ pars Donati iustitiam suam à cęterorum hominũ iniqtatę secerneret, se primitus causa

Contra figmentum paucorum iustorum.

æquiſſima ſeparauerint in latere aquilonis, & ipſa ſit potius Eccleſia DEI tanquam Sion ſpiritalis, quæ vos omnes iuſta ſeparatione præuenit, multoque præſumptius pro ſe interpretetur, quod ſcriptum eſt. *Mons Sion latera Aquilonis, ciuitas regis magni*; quàm pro
Pſal. 74. 3. ſe interpretatur pars Donati; *vbi paſcis, vbi cubas in meridie.* Et tamen vereris, ne cùm
Cant. 1. 7. imperialibus legibus ad vnitatem cogimini, nomen Dei à Iudæis & paganis diutius blaſphemetur: quaſi neſciant Iudæi quemadmodum primus populus Iſraël etiam bello delere voluerit duas illas tribus & dimidiam: quę vltra Iordanem terras acceperant, quando eas putauerunt ſe ab vnitate ſui populi ſeparaſſe. Pagani verò magis nos blaſphemare poſſunt de legibus, quas contra idolorum cultores Chriſtiani imperatores tulerunt, & tamen ex eis multi correcti, & ad Deum viuum verumque conuerſi ſunt, & quotidiè
Nota bene. conuertuntur. *Sed planè & Iudæi & pagani, ſi tam paucos putarent eſſe Chriſtianos, quàm pauci vos eſtis, qui ſolos vos Chriſtianos eſſe perhibetis, nec blaſphemare vos dignarentur, ſed & nunquam ridere ceſſarent.* Non timetis ne vobis dicant Iudæi: vbi eſt quod Paulus veſter Eccleſiam veſtram intelligit, vbi dictum eſt;
Gal. 4. 27. *Lætare ſterilis quæ non paris, erumpe & exclama, quæ non parturis, quoniam multi filii deſertæ magis quàm eius quæ habet virum*, præponens multitudinem Chriſtianorum multitudini Iudæorum, ſi Chriſti Eccleſia eſt paucitas

çitas veſtra? Hóccine illis dicturi eſtis: *Ideo magis iuſti ſumus quia pauci ſumus*: nec attenditis eos reſponſuros, quotlibet vos eſſe dicatis, non tamen eſtis illi, de quibus dictum eſt, *Multi filii deſertæ*: ſi tam exiguo numero remanſiſtis?

Hic tu oppoſiturus es exemplū iuſti illius in diluuio, qui cum domo ſua ſolus liberari dignus inuentus eſt. Vides ergò quàm longè ſis adhuc à iuſtitia? prorſus donec ad ſeptem remaneas, quibus tu ſis octauus, iuſtum te eſſe non dicimus: ſi tamen non iſtam iuſtitiam ſicut dicebam præripuit aliquis ante partem Donati, & cum ſuis ſeptem iuſta aliqua cauſa commotus, ſe longè alibi ſeparauit, & à mundi huius diluuio liberauit. Quod cùm ignoretis an factum ſit, atq; ita vobis inauditum, ſicut multis populis Chriſtianorum in longinquis terris conſtitutorum nomē Donati inauditum eſt, incerti eſtis vbi ſit Eccleſia. Ibi enim erit, vbi primum forſitan factum eſt, quod poſtea vos feciſtis, ſi potuit eſſe vlla iuſta cauſa, qua vos à communione omnium gentium ſeparare poſſetis. Nos autem ideò certi ſumus, neminem ſe à communione omnium gentium ſeparare iuſtè potuiſſe, quia non quiſq; noſtrûm in iuſtitia ſua, ſed in ſcripturis diuinis quærit Eccleſiam, & vt promiſſa eſt, reddi cōſpicit. Ipſa eſt enim de qua dicitur; *ſicut lilium in medio ſpinarum, ita proxima mea in medio filiarum*: quæ nec ſpinæ dici poſſent, niſi malignitate morum: nec fi-

Obiectio Donatiſtarum & hodiernorum etiam hæreticorum, pro ſua paucitate.

Cant. 2. 2.

liæ nisi communione sacramentorum. Ipsa est quæ dicit; *A finibus terræ ad te clamaui, cum anxiaretur cor meum.* Quæ in alio psalmo dicit; *Tædium detinuit me à peccatoribus derelinquentibus legem tuam: & vidi insensatos & tabescebam.* Ipsa est, quæ dicit sponso suo; *Vbi pascis, vbi cubas in meridie,* fortè fiam sicut operta super greges sodalium tuorum. Id est quod alibi dicitur; *dexteram tuam notam fac mihi & eruditos corde in sapientia.* In quibus luce fulgentibus & charitate feruentib⁹ quasi in meridie requiescis, ne fortè velut opta, id est, occulta & ignorata, irruam non in gregem tuum, sed in greges sodalium tuorum id est hæreticorum. Quos ita sodales dicit, sicut spinas illas filias, propter communionem sacramentorũ. De quibus alibi dicitur: *Tu verò vnanimis meus, & dux meus, & notus meus, qui simul mecum dulces capiebas cibos, in domo Domini ambulauimus cum consensu: Veniat mors super illos, & descendant in infernũ viuentes,* sicut Dathan & Abiron, impiæ separationis autores. Ipsa est cui continuò respondetur: *Nisi cognoueris temetipsam, ô pulchra inter mulieres, exi tu in vestigiis gregum, & pasce hædos tuos in tabernaculis pastorum.* O responsio dulcissimi sponsi. Nisi cognoueris temetipsam, inquit: Quia vtique *non potest ciuitas abscondi supra montem constituta*: & ideo non es operta, vt incurras in greges sodalium tuorum. Ego enim sum mons paratus in cacumine montium, ad quem venient

Psal. 60. 3. Psal. 118. Psal. 89. 12. Psal. 54. Cant. 1. 8. Ecclesia manifestissima. Mat. 5. 15.

ent vniuersæ gentes. Nisi ergo cognoueris temetipsam, non in verbis calumniosorum, sed in testimoniis librorum meorum. Nisi cognoueris temetipsam, quia de te dictũ est: *porrige longius funiculos, & palos validos confirma: etiam atq; etiam in dexteram atq; sinistrã extende. Semen enim tuum hæreditabit gentes, & ciuitates quæ desertæ erãt inhabitabis. Nõ est quod metuas, præualebis enim, nec erubescas quod detestabilis fueris. Cõfusionem enim in æternum obliuisceris, ignominiæ viduitatis tuæ non eris memor. Ego enim sum Dominus qui facio te, Dominus nomen ei. Et qui eruit te, ipse Deus Israel vniuersæ terræ vocabitur.* Nisi cognoueris temetipsam, ô pulchra inter mulieres: quia de te dictum est: *Concupiuit Rex speciem tuam*: quia de te dictum est: *pro patribus tuis nati sunt tibi filii, constitues eos principes super omnem terram.* Nisi ergo cognoueris temetipsam, exi tu: non ego te eiicio, sed exi vt dicatur de te: *Ex nobis exierunt, sed non erant ex nobis.* Exi tu in vestigiis gregum non in vestigiis meis, sed in vestigiis gregum: nec vnius gregis, sed gregum diuersorum & errantium. Et pasce hædos tuos, non sicut Petrus, cui dicitur: *pasce oues meas*, sed pasce hædos tuos in tabernaculis pastorum, non in tabernaculo pastoris, vbi est vnus grex & vnus pastor. Cognoscit enim semetipsam, ne hoc ei contingat, quod contingit eis, qui se in illa non cognouerunt. Ipsa est, de cuius paucitate dicitur in comparatione plurimorum

Psal. 44. 10

Ioan. 21. 17

rum malorum: *quia angusta & arcta via est quæ ducit ad vitam, & pauci sunt qui ambulant in ea.*

Genes. 22. 17. Et rursus ipsa est, de cuius multitudine dicitur: *Sic erit semen tuum, sicut stellæ cœli, & sicut arena maris.* Idem quippe fideles sancti & boni, & in comparatione plurimorum malorum pauci sunt, & per se ipsi multi sunt: quia multi filii desertæ, magis quàm eiꝰ quæ habet virũ. *Et multi ab oriente & occidente venient, & recumbent cum Abraham, Isaac & Iacob in regno Cælorum: & quia exhibet sibi Deus populum abundantem æmulatorem bonorum operum. Et multa millia quæ numerare nemo potest.* videtur in Apocalypsi, *ex omni tribu & lingua in stolis albis palmisque victricibus.* Ipsa est quæ aliquando obscuratur, & tanquã obnubilatur multitudine scandalorum, quãdo *peccatores intendunt arcum, vt sagittent in obscura luna rectos corde.* Sed etiam tunc in suis firmissimis eminet. Et si aliqua in his verbis diuinis distributio facienda est, fortasse non frustra dictum sit de semine Abrahæ: *Sicut stellæ cœli, & sicut arena quæ est ad oram maris*: vt in stellis cœli pauciores firmiores, clarioresque intelligantur, in arena autem maritimi littoris magna multitudo infirmorum atque carnalium, quæ aliquando tranquillitate temporis quieta & libera apparet, aliquando autem tribulationum & tentationum fluctibus operitur atque turbatur. Tale tunc erat tempus, de quo scripsit

Marginal notes: Matt. 8. 11. — Apoc. 7. 9. — Psal. 10. 2. — Gen. 22. 17.

psit *Hilarius*,,vnde putasti inficiandum contra testimonia tot diuina, tanquam perierit Ecclesia de toto orbe terrarũ, potes hoc modo dicere, nec tot Ecclesias Galatię tunc fuisse, quando dicebat Apostolus: *O stulti Galatæ, quis vos fascinauit, vt cùm spiritu cæperitis, nunc carne consumemini?* Sic enim calumniaris docto viro, qui tardicordes & timidos grauiter increpabat, quos iterũ parturiebat, donec Christus formaretur in eis. Quis enim nescit illo tempore obscuris verbis multos parui sensus fuisse delusos, vt putarent hoc credi ab Arianis, quod etiam ipsi credebant: alios autem timore cessisse & simulatè consensisse, non rectè ingredientes ad veritatem Euangelii, quibus tu postea correctis sic quẽadmodũ ignotum est, nolles ignosci? prorsus non nosti literas Dei. Lege enim quid de Petro scripserit Paulus, & quid inde etiam senserit Cyprianus, & tibi non displiceat Ecclesiæ mansuetudo, quæ membra Christi dispersa colligit, non collecta dispergit, quanquam & illi qui tunc firmissimi fuerunt, & verba hæreticorum insidiosa intelligere potuerunt, sed pauci quidem in comparatione cæterorum, sed tamen etiam ipsi quidam pro fide fortiter exulabant, quidam toto orbe latitabant.

Hilarii locus.

Gal. 3. 1.

Cypriani locus.

Ac sic Ecclesia, quæ per omnes gentes crescit, in frumentis dominicis conseruata est, & vsque in finem, donec omninò gentes omnes, etiam barbaras teneat, conseruabitur.

bitur. Ipsa est igitur Ecclesia in bono semine, *quod seminauit filius hominis, & vsque ad messem crescere inter zizania, prænunciauit. Ager autem mundus est, messis finis est seculi.* Hilarius ergo decem prouinciarum Asianarum, aut zizania non triticum arguebat, aut ipsum etiam triticum, quod defectu quo-
NB. dam periclitatur, quantò vehementius, tantò vtilius arguendum putabat. Habent enim etiam scripturæ Canonicæ hunc arguendi morem; vt tanquam omnibus dicatur, & ad quosdam verbum perueniat, quod etiam
1. Cor. 15. 12. Apostolus dicit ad Corinthios: *Quomodo dicunt quidam in vobis; quia resurrectio mortuorum non est?* Manifestat vtiq; non omnes esse tales, veruntamen & tales non extra, sed in eis fuisse testatur: à quibus ne illi seducerentur, qui non ita sentiebant, paulò post monuit, dicens: *Nolite seduci, corrumpunt mores bonos colloquia mala. Sobrii estote iustè & nolite peccare. Ignorantiam enim Dei quidam*
1. Cor. 3. 3. *habent. Ad reuerentiam vobis loquor.* Quod autem dicit: *Cùm enim sint inter vos æmulatio & contentio, nonne estis carnales, & secundùm hominem ambulatis?* tanquam omnibus dicit. Et vides quàm sit graue quod dicit. Pro-
1. Cor. 1. 4. inde nisi in ipsa Epistola legeremus: *Gratias ago Deo meo semper pro vobis in gratia Dei, quæ data est vobis in Christo Iesu, quia in omnibus ditati estis in illo; in omni verbo & scientia; sicut testimonium Christi confirmatum est in vobis; ita vt nihil desit vobis in vlla gratia:* Putaremus

omnes

omnes Corinthios carnales & animales, *non percipientes quæ sunt spiritus Dei, contentiosos, æmulos, secundum hominẽ ambulantes.* Itaque & totus mundus in maligno positus est, propter zizania quæ sunt per totum mundum: & Christus propitiator est peccatorum nostrorum, non tantum nostrorum, sed totius mundi, propter triticum, quod est per totum mundum. 1. Cor. 2. 14. 1. Ioan. 5. 19.

Refrigescet autem charitas multorum propter scandalorum abundantiam, quantò magis magisque glorificato Christi nomine congregabuntur in communionem sacramentorum eius etiam peruersi, & perseuerabunt omninò maligni, sed tamẽ tanquam palea de area Dominica, non nisi vltima ventilatione separandi: non extinguent isti frumenta Dominica, in eorum quidem comparatione pauca, sed multa per se ipsa, non extinguent electos Dei congregandos in fine seculi, sicut Euangelium loquitur, à quatuor ventis, á summis cœlorum vsque ad terminos eorum. Ipsorum enim vox est: *Saluum me fac Domine, quomodo defecit sanctus? Quoniam diminutæ sunt veritates à filiis hominum.* De quibus & Dominus dicit inter abundantiam iniquitatis, *qui perseuerauerit vsque in finem, hic saluus erit.* Matth. 24. 12. Psal. 11. 2.

Denique non vnum hominem, sed plures in eodem Psalmo loqui consequentia docent, vbi dicitur: *Tu Domine seruabis nos & custodies nos à generatione hac in æternum,* Psal. 11. 8.

propter

propter hanc enim abundantiam iniquitatis quam Dominus futuram esse prædixit, etiam illud positum est: *Cùm venerit filius hominis, putas inueniet fidem in terra?* Dubitatio enim cuncta scientis nostram in illo dubitationem præfigurauit, quando Ecclesia ex multis, de quibus multum sperauit, sæpè decepta, quod aliter quàm credebãtur inuenti sunt, sic perturbatur in suis, vt de nullo facilè bono aliquid velit credere. Ipsos tamen quorum inuenturus est fidem in terra, per totum agrum cum zizaniis crescere, dubitare fas non est. Ipsa est ergò Ecclesia, quæ intra sagenam dominicam cum malis piscibus natat, à quibus corde semper & moribus separatur atque discedit, *vt exhibeatur viro suo gloriosa, non habens maculam neq; rugam.* Corporalem autem separationem in littore maris, hoc est, in fine seculi expectat, corrigens quos potest, tolerans quos corrigere non valet: non tamen propter eorum quos non corrigit iniquitatem, ipsa bonorum deserit vnitatem. Noli ergo frater contra diuina tam multa, tam clara, tam indubitata testimonia colligere velle calumnias ex episcoporum scriptis, siue nostrorum sicut Hilarii, siue antequã pars Donati separaretur, ipsius vnitatis, sicut Cypriani & Agrippini: primò, quia hoc genus literarum ab authoritate Canonis distinguendum est. Non enim sic leguntur, tanquam ita ex eis testimonium proferatur, vt contra sentire non liceat, sicubi fortè aliter sapuerint, quam

Luc. 18 8.

Ephes 5. 27.

Distinct. 9. noli frater.

Patrum quædã priuatæ sententiæ quomodo accipiendæ.

quàm veritas postulat. In eo quippe numero ſumus, vt non dedignemur etiam nobis dictum ab Apoſtolo accipere, *Et ſi quid aliter ſapitis, id quoque Deus vobis reuelauit.* Veruntamen in id quod peruenimus, in eo ambulemus, in illa via ſcilicet, quæ eſt Chriſtus. De qua via ita Pſalmus loquitur. *Deus miſereatur noſtri, & benedicat nobis, illuminet vultum ſuum ſuper nos; vt cognoſcamus in terra viam tuam, in omnibus gentibus ſalutare tuum.* Deinde ſi ſancti Cypriani Epiſcopi, & glorioſi martyris te delectat authoritas, quam quidem ſicut dixi, à Canonica authoritate diſtinguimus, cur in eo te nõ delectat, quòd vnitatem orbis terræ atq; omnium gentium, & diligendo tenuit, & diſputando defendit: quòd eos qui ſe tanquam iuſtos ab ea ſeparare voluiſſent, arrogantiſſimos & ſuperbiſſimos iudicauit, irridens eos hoc ſibi aſſumere, quod nec Apoſtolis conceſſit Dominus, *vt ante tempus zizania colligerent*, aut tanquã ipſis palam ferre, & aream purgare conceſſum ſit, paleas conarentur à tritico ſeparare: quòd vnumquemq; peccatis alienis maculari non poſſe monſtrauit, quam ſibi omnes impiæ ſeditionis authores ſolam cauſam ſeparationis aſſumunt: quòd in eo ipſo in quo aliter ſapuit, collegas diuerſa ſentientes, nec iudicandos, nec à iure communionis amouendos eſſe decreuit: quòd in ea ipſa Epiſtola ad Iubaianum quæ in Concilio (cuius authoritatem ad rebaptizandum ſequi

Phil. 3. 15.
Io[...]. 14 6.
Pſal. 66. 2.
Cyprianus.
Matt. 13. 31.

vos dicitis) primitus recitata eſt, cum fateatur in præteritum ſic eſſe admiſſos in Eccleſiam qui fuerant alibi baptizati, vt denuò non baptizarentur. vnde illos ſine baptiſmo fuiſſe arbitratur: tantum tamen ponit vtilitatis & ſalubritatis in pace Eccleſiæ, vt propter illam non eos credat ab Eccleſiæ muneribus ſeparari. Qua in re ſicut ingenium tuum noui, facillimè perſpicis totam cauſam veſtram penitus euerſam & extinctam. Si enim ſacramenta cum peccatoribus communicando, ſicut putatis, periit Eccleſia quæ fuerat in orbe terrarum, nam vos ideo ſeparaſtis, iam prius tota perierat, cùm ſicut dicit Cyprianus, in eam ſine baptiſmo admittebantur, ac ſic nec ipſe Cyprianus habebat, in qua Eccleſia naſceretur, quantò magis multò poſterior veſter author paterq; Donatus? Si autem illo tempore, cum in eam ſine baptiſmo admittebantur, erat tamen Eccleſia quæ pareret Cyprianum, pareret & Donatū, manifeſtū eſt non cōtaminari iuſtos alienis peccatis, quando cum eis ſacramenta communicant. Ac per hoc ſeparationem quà exiſtis ab vnitate, qua excuſatione poſſitis abluere non habetis, impleturque in vobis ſanctæ ſcripturæ illud oraculum: *Filius malus ipſe ſe iuſtum dicit, exitum autem ſuum non abluit.* Meritis autem Cypriani ſic non æquatur, qui propter paria ſacramenta nec ipſos hæreticos audet rebaptizare, ſicut non æquatur meritis Petri, quiſquis non co-

git gentes Iudaizare. Sed illa Petri non tantùm claudicatio, verùm etiam correctio in ſcripturis Canonicis continetur. Cyprianus autem ſenſiſſe aliter de baptiſmo, quâm forma & conſuetudo habebat Eccleſiæ, non in Canonicis, ſed in ſuis & in Concilii literis inuenitur: Correxiſſe autem iſtam ſententiam non inuenitur: non incongruenter tamen de tali viro exiſtimandum eſt quòd correxerit, & fortaſſe ſuppreſſum ſit ab eis, qui hoc errore nimium delectati ſunt, & tanto vel patrocinio carere noluerunt: quanquam non deſint, qui hoc Cyprianum prorſus non ſenſiſſe contendant, ſed ſub eius nomine à præſumptoribus atq; mendacibus fuiſſe confictum. Neque enim ſic potuit integritas atque notitia literarum, vnius quamlibet illuſtris Epiſcopi cuſtodiri, quéadmodũ ſcriptura Canonica, tot linguarũ literis & ordine, & ſucceſſione celebrationis Eccleſiaſticæ cuſtoditur, contra quam tamen non defuerunt, qui ſub nominibus Apoſtolorum multa confingerent. Fruſtra quidem, quia illa ſic commendata, ſic celebrata, ſic nota eſt. Verùm quid poſſit aduerſus literas, non Canonica authoritate fundatas, etiam hinc demonſtrauit impiæ conatus audaciæ, quòd & aduerſus eas quæ tanta notitiæ mole firmatæ ſunt, ſeſe erigere non prætermiſit. Nos tamen duas ob res non negamus illud ſenſiſſe Cyprianum: quòd & ſtylus eius habet quandam propriam faciem qua poſ-

Cyprianus an errorem de anabaptiſmo retractarit.

ſit agnoſci: & quòd ibi magis contra vos noſtra cauſa monſtratur inuictior, veſtræque ſeparationis præſumptio, videlicet ne macularemini peccatis alienis, tota facilitate ſubuertitur, cùm appareret in literis Cypriani communicata eſſe cum peccatoribus ſacramenta, cùm admiſſi ſunt in Eccleſiam, qui ſecundum veſtram, & ſicut vultis, illius ſententiam, baptiſmum nō habebant, & tamen Eccleſiam non periſſe, ſed in ſui generis dignitate per totum orbem ſparſa dominica frumenta manſiſſe. Ac per hoc ſi perturbati tanquam ad aliquem portum, ſic ad autoritatem Cypriani confugitis, videtis quem illic ſcopulum veſter error offendit. Si autem iam nec illuc confugere audetis, ſine vllo luctamine naufragatis. *Porrò autem Cyprianus, aut non ſenſit omninô quod eum ſenſiſſe recitatis: aut hoc poſteà correxit in regula veritatis: aut hunc quaſi næuum ſui candidiſſimi pectoris cooperuit vbere charitatis, dum vnitatem Eccleſiæ toto orbe creſcentis, & copioſiſſimè defendit, & perſeuerantiſſimè tenuit*
1.Pet. 4. 8. *vinculum pacis.* Scriptum eſt enim: *Chari-*
4 Senten. *tas cooperit multitudinem peccatorum.* Acceſ-
diſtinct. 6. ſit huc etiam, quòd tanquam ſarmentum
Sunt tamē. fructuoſiſſimum, ſi quid in eo fuerat emendandum, purgauit pater falce paſſionis.
Ioan. 15. 2. *Sarmentum autem*, ait Dominus, *quod in me facit fructum, purgat illud pater meus, vt maiorem fructum afferat.* Vnde? niſi quia hærens in diffuſione vitis, radicem non deſeruit

ſeruit vnitatis? *Nam etſi traderet corpus ſuum vt arderet, charitatem autem non haberet, nihil ei prodeſſet.* Attende adhuc paululum in literas Cypriani, vt aduertas, quàm inexcuſabilem oſtenderit, qui ſe voluerit ab vnitate Eccleſiæ (quàm Deus in omnibus gentibus promiſit & reddidit) quaſi iuſtitiæ ſuæ cauſa ſeparare, magisq; intelligas quàm ſit vera ſententia paulò ante à me commemorata: *Filius malus ipſe ſe iuſtum dicit, exitum autem ſuum non abluit.* Ponit in quadam Epiſtola ſua, quam ſcripſit ad Antonianum, rem quandam ſatis rei de qua nunc agimus neceſſariam, ſed melius eius verba inſerimus. *Anteceſſores*, inquit, *noſtri quidam de Epiſcopis iſthinc, in prouincia noſtra dandam pacem mœchis non putauerunt, & in totum pœnitentiæ locum contra adulteria clauſerunt: non tamen à Coëpiſcoporum ſuorum collegio receſſerunt: aut Catholicæ Eccleſiæ vnitatem vel duritiæ, vel cenſuræ ſuæ obſtinatione ruperunt, vt quia apud alios adulteriis pax dabatur, qui non dabat, de Eccleſia ſepararetur, manente Concordiæ vinculo, & perſeuerante Catholicæ Eccleſiæ indiuiduo ſacramento. Actum ſuum diſponit & dirigit Epiſcopus vnuſquiſque, rationem propoſiti ſui Domino redditurus.* Quid ad hæc dicis, frater Vincenti? nempe intueris hunc tantum virum pacificum Epiſcopum, & fortiſſimum martyrem nihil vehementius ſategiſſe, quàm ne vnitatis vinculum rumperetur.

1. Cor. 13. 3.

Lib. 4. epiſt. 2.

Verba Cypriani.

Vides eum parturientem, non solùm vt paruuli in CHRISTO concepti nascantur, verùm etiam ne iam nati, de sinu matris excussi, moriantur. Porrò autem ipsam rem, quam contra impios separatores commemorauit, attende.

Si adulteris communicabunt, qui pœnitentibus adulteris pacem dabant, nunquid illi qui hoc non faciebant, collegio maculabantur istorum? Si autem quod veritas habet, & quod Ecclesia meritò tenet rectè pœnitentibus adulteris pax dabatur, illi qui in totum locum pœnitentiæ contra adulteros claudebant, impiè vtique agebant, qui membris CHRISTI sanitatem negabant, & claues Ecclesiæ pulsantibus subtrahebant, & misericordissimæ patientiæ DEI, quæ illos propterea sinebat viuere, vt pœnitendo sanarentur sacrificio cõtriti spiritus, & contribulati cordis oblato, dura crudelitate contra dicebant.

Nec tamen istos misericordes & pacificos, cum eis Christiana sacramenta communicantes, & eos intra vnitatis retia tolerantes, donec ad littus perducti separarentur, tam immanis eorum error & impietas inquinabat, aut si inquinabat, iam tunc Ecclesia malorum communione deleta est, nec erat quæ pareret ipsum Cyprianum. Si autem, quod certum est, permansit ipsa Ecclesia, certum est etiam peccatis a-

lienis

lienis in vnitate CHRISTI neminem posſe maculari, non malorum factis conſentientem, ne ipſis peccatis communicando polluatur, ſed propter ſocietatem bonorum, malos tanquam paleas vſque ad vltimam ventilationem in area Dominica tolerantem.

Quæ cùm ita ſint, vbi eſt præſumptio ſeparationis veſtræ? Nonne filii mali eſtis, qui ipſi vos iuſtos dicitis, exitum autem veſtrum non abluitis? Iam ſi velim & illa commemorare quæ Tychonius homo communionis veſtræ ſcriptis ſuis inſerit, qui magis contra vos pro Eccleſia Catholica ſcripſit, fruſtra ſe ab Afrorum, quaſi traditorum communione ſecernens, quo vno eum Parmenianus ſuffocat; quid reſpondere poteritis, niſi quod de vobis idem Tychonius dixit, & ego paulò ante recolui, *quod volumus ſanctum eſt?* ſcribit enim ille Tychonius homo (vt dixi) veſtræ communionis, à ducentis & ſeptuaginta Epiſcopis veſtris Concilium Carthagine celebratum. In quo Concilio per ſeptuaginta & quinque dies poſtpoſitis omnibus præteritis, limatam eſſe ſententiam, atque decretam, vt traditoribus immenſi criminis reis, ſi baptizari nollent, pro integris communicaretur. *Tychonius Anatiſta.*

Deuterium etiam Macrinenſem Epiſcopum communionis veſtræ, dicit traditorum plebem congregatam, Eccleſiæ miſcuiſſe, *Deuterius*

& ſecundum ſtatuta illius Concilii à ducentis & ſeptuaginta Epiſcopis veſtris facti, feciſſe cum traditoribus vnitatem, eique Deuterio poſt hoc factum iugiter communicaſſe Donatum: nec ſolùm huic Deuterio, ſed etiam vniuerſis Maurorum Epiſcopis per quadraginta annos, quos dicit vſque ad perſecutionem per Macharium factam, traditoribus ſine baptiſmo communicaſſe. Sed dicis: Quis eſt iſte Tychonius? ille eſt Tychonius, quem Parmenianus reſcribendo compeſcit, & eum deterret, ne talia ſcribat, non tamen refellit ea ipſa quæ ſcribit; ſed vno, ſicut ſuprà dixi, eum premit, quod cùm talia diceret de Eccleſia toto orbe diffuſa, & quod neminem in eius vnitate macularet aliena peccata, ab Afrorum ſe tamen quaſi traditorum contagione remouebat, & erat in parte Donati. Poſſet autẽ dicere Parmenianus, iſta eum omnia eſſe mentitum: ſed ſicut idem Tychonius commemorat, adhuc viuebant multi, per quos hæc certiſſima & apertiſſima eſſe oſtenderentur. Sed de his taceo, contende Tychonium eſſe mentitum, ad Cyprianum te reuoco, cuius mentionem ipſe feciſti. Prorſus ſecundum ſcripta Cypriani, ſi peccatis alienis in vnitate quiſque maculatur, iam ante Cyprianum periit Eccleſia, nec erat vnde exiſteret ipſe Cyprianus. Si autem hoc ſentire ſacrilegum eſt, & certum eſt Eccleſiam permanere, nemo alienis peccatis in eius vnitate maculatur,

tur, frustra filii mali iustos vos esse dicitis, exitum vestrum non abluitis, non purgatis. Cur ergo, inquis, nos, quæritis? cur sic suscipitis, quos hæreticos dicitis? Vide quàm facile breuiterq; respondeam. Quærimus vos quia peristis, vt de inuentis gaudeamus, de quibus perditis dolebamus. Hæreticos autem vos esse dicimus, sed antequam ad pacem Catholicam conuertamini, antequam errore quo irretiti estis exuamini. Cùm autem transitis ad nos, prius vtique relinquitis, quod eratis, ne ad nos hæretici transeatis. Baptiza ergo me, inquis. Facerem, si baptizatus non esses, aut si Donati vel Rogati, non CHRISTI baptismo baptizatus esses. *Non Christi vna sacramenta faciunt te hæreticum, sed praua dissensio.* Non propter malum quod processit ex te, negandum est bonum quod remansit in te, quod malo tuo habes, si non ibi habes, vnde est bonum quod habes. Ex Catholica enim Ecclesia sunt omnia dominica sacramenta, quæ sic habetis & datis quemadmodum habebantur & dabantur etiam priusquam inde exiretis. Non tamen ideo non habetis, quia ibi non estis, vnde sunt quæ habetis. Non in vobis mutamus in quibus nobiscum estis. In multis enim estis nobiscum. Nam & de talibus dictum est. Quoniam in multis erant mecum, sed ea corrigimus in quibus nobiscum non estis, & ea vos hic accipere volumus, quæ non habetis illic vbi estis. Nobiscum autem

Obiectio Donatistarum.

Nota

1.q.1.ex Catholica

estis in baptiſmo, in Symbolo, in cæteris dominicis ſacramentis. In ſpiritu autem vnitatis & vinculo pacis, in ipſa denique Catholica Eccleſia nobiſcum non eſtis. Hæc ſi accipiatis, non tunc aderunt, ſed tunc proderunt quæ habetis. Non ergò ſicut putatis ſuſcipimus veſtros, ſed ſuſcipiendo efficimus noſtros, qui recedunt à vobis, vt ſuſcipiantur à nobis. Et vt incipiant eſſe noſtri, prius deſinunt eſſe veſtri. Nec nobis coniungi compellimus operarios erroris, quem deteſtamur, ſed ideò nobis illos homines coniungi volumus, ne hoc ſint quod de te teſtamur.

à Iohanne baptizati, à Paulo rebaptizati. Sed baptizauit, inquis, poſt IOHANNEM PAVLVS Apoſtolus: nunquid poſt hæreticum? aut ſi fortè audes illum amicum ſponſi hæreticum dicere, & in vnitate Eccleſię non fuiſſe, volo & hoc ſcribas. Si autem hoc dementiſſimum eſt vel ſentire, vel dicere, iam tuæ prudentiæ eſt conſiderare, quare poſt Ioannem Paulus Apoſtolus baptizauerit. Si enim poſt æqualem, omnes poſt vos baptizare debetis. Si poſt maiorem, debes & tu poſt Rogatum. Si poſt minorem, debuit poſt te Rogatus cùm presbyter baptizaſſes. Si autem baptiſmus qui nunc datur, ideò pariter valet in eis quibus datur, quamuis ſint imparis meriti per quos datur, quia Chriſti eſt, non eorum à quibus miniſtratur: puto quod iam intelligas, ideò Paulum dediſſe quibuſdam baptiſmum Chriſti, quia Iohãnis bapti-

baptiſmo fuerant baptizati, non CHRISTI. IOHANNIS quippe baptiſmus ille dictus eſt, ſicut multis locis diuina ſcriptura teſtatur, quod & ipſe DOMINVS dicit; *Baptiſmus Iohannis vnde erat, de cœlo an ex hominibus?* Baptiſmus autem quem dedit Petrus, non erat Petri, ſed CHRISTI, & quem dedit Paulus, non erat Pauli, ſed CHRISTI, & quem dederunt qui tempore Apoſtolorum non caſtè, ſed per inuidiam CHRISTVM annunciabant, non erat eorum, ſed CHRISTI. Et quem dederunt qui tempore CYPRIANI fundos inſidioſis fraudibus rapiebant, vſuris multiplicibus fœnus augebant, non erat eorum ſed Chriſti. Et quia Chriſti erat, ideo quamuis non per æquales daretur eis, tamen quibus dabatur æqualiter proderat. Nam ſi tantò melius quiſque baptizatur, quantò à meliore fuerit baptizatus, non rectè *gratias agit Apoſtolus, quod neminem Corinthiorum baptizauerit, niſi Criſpum & Caium & Stephanæ domum.* Tantò enim melius baptizarentur, quantò erat Paulus melior, ſi ab ipſo baptizarentur. Denique cùm dicit: *Ego plantaui, Apollo rigauit*, videtur ſignificare ſe Euangelizaſſe, illum baptizaſſe, Nunquid melior Apollo, quàm IOHANNES? Cur ergò poſt iſtum non baptizauit, qui poſt IOHANNEM baptizauerat, niſi quia iſte baptiſmus per quemlibet datus, quamuis CHRISTO viam præpararet, tamen IOHANNIS erat? Inuidiosè dicivi-

Iohannis Baptiſmus alius à Baptiſmo Chriſti.

Act. 21. 15.

1. Cor. 1. 14.

1. Cor. 3. 6.

ci videtur, post IOANNEM baptizatum est & post ebriosos non baptizatur. Sed potest & hoc inuidiosè dici, post IOANNEM baptizatum est, & post ebriosos non baptizatur. Melius enim hoc vitium commemoro, quod nec occultare possunt, in quibus regnat, & quàm multi vbique sint, quis vel cæcus ignorat? Et tamen inter opera carnis, *quæ*
Gal. 5. 19. *qui agunt, regnum Dei non possidebunt*, etiam hoc ponit Apostolus, vbi etiam hæreses enumerat. *Manifesta autem*, inquit, *sunt opera Carnis, quæ sunt fornicationes, immunditiæ, luxuria, idolorum seruitus, veneficia, inimicitiæ, contentiones, æmulationes, animositates, dissensiones, hæreses, inuidiæ, ebrietates, commessationes, & his similia, quæ prædico vobis sicut prædixi, quoniam qui talia agunt, regnum DEI non possidebunt*. Hac ergo ratione quamuis baptizatum sit post IOANNEM, non baptizatur post hæreticum: qua ratione quamuis baptizatum sit post IOANNEM, non baptizatur post ebriosum, quoniam & hæreses, & ebrietates in eis operibus sunt, quæ opera qui agunt, regnum Dei non possidebunt. Nonnè tibi videtur quasi intolerabiliter indignum, vt cùm baptizatum fuerit post eum, *qui non sobriè vinum bibens, sed vinum omnino non bibens*, regno DEI viam parauit, non baptizetur post ebriosum, qui regnum DEI non possidebit? Quid hic respondetur, nisi quia ille baptismus erat IOANNIS, post quem CHRISTI baptismo baptizauit Apostolus: iste autem

tem

tem baptiſmus CHRISTI eſt, quo baptizauit ebrioſus? Inter IOHANNEM & ebrioſum à contrario multum intereſt: *inter baptiſmum Chriſti & baptiſmum Iohannis non à contrario: ſed tamen multum intereſt:* inter Apoſtolum & ebrioſum multum intereſt: inter baptiſmum CHRISTI, quem dedit Apoſtolus, & baptiſmum CHRISTI, quem dedit ebrioſus, nihil intereſt. Sic inter IOHANNEM & hæreticum, à contrario multum intereſt, & inter baptiſmum IOHANNIS, & inter baptiſmum CHRISTI, quem dat hæreticus, non à contrario, ſed multum intereſt. Inter baptiſmum autem Chriſti, quem dedit Apoſtolus, & baptiſmum Chriſti, quem dat hæreticus, nihil intereſt. Agnoſcitur enim ſacramentorum ſpecies æqualis, etiam cum magna differentia eſt in hominum meritis. Sed da veniam, erraui, quando te volui de ebrioſo baptizante conuincere, exciderat mihi cum Rogatiſta me rem habere, non cum qualiſcunque Donatiſta. Potes enim tu in tam paucis collegis tuis, & in omnibus clericis veſtris nullum inuenire forſitan ebrioſum. Vos enim eſtis, qui non ex totius orbis cōmunione, ſed ex obſeruatioue præceptorum omnium diuinorum atq; omnium ſacramentorum tenetis Catholicam fidem: in quibus eam ſolis inuenturus eſt, *cùm venerit filius hominis, quando non inueniet fidem in terra*: quia nec terra eſtis, nec in terra, ſed cœleſtes in cœlo habitatis: nec timetis, nec attendi- *NB.*

Iacob. 4. 6. attenditis, *quia Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam.* Nec vos Euangelii locus ipse compuugit, vbi Dominus ait:
Luc. 18. 10. *Cùm venerit filius hominis, putàs inueniet fidem in terra?* Continuò quippe tanquam præsciens nonnullos sibi superbè arrogaturos hanc fidem; dixit ad quosdam, qui sibi iusti videbantur, & spernebant cæteros, si-
Luc. 18. 10. militudinem hanc. *Duo quidam ascenderunt in templum orare, vnus Pharisæus & alter Publicanus, & cætera.* Iam tibi quæ sequuntur, ipse responde. Inspice tamen diligentius ipsos paucos vestros, vtrum nullus illic ba-
Ebrietas regnabat in Africa. ptizet ebriosus. Tam enim latè vastat hæc pestilentia animas, & tanta libertate dominatur, vt multum mirer, si non etiam vestrum gregiculum penetrauit: quamuis ante ipsum aduentum filii hominis vnius boni pastoris iam vos oues ab hædis separasse iactetis. Audi sanè per me vocem dominicorum frumentorum, in area dominica vsque ad vltimam ventilationem inter paleam laborantium, per totum scilicet mundum, *qua*
Psal. 112. 3. *DEVS vocauit terram à solis ortu vsque ad*
23. q. 7. cap. quicunq. *occasum*, vbi etiam pueri laudant Dominum: quicunque vos ex occasione legis huius imperialis, non dilectione corrigendi, sed inimicandi odio persequitur, displicet nobis.

Et quamuis res quæque terrena non rectè à quoquam possideri possit, nisi vel iure diuino, quo cuncta iustorum sunt, vel iure

iure humano, quod in potestate regum est terræ: ideoque res vestras falsò appellatis, quas nec iusti possidetis, & secundum leges regum terrenorum amittere iussi estis: Frustraque dicatis, non eis congregandis laborauimus, cùm scriptum legatis: *Labores impiorum iusti edent.* Sed tamen quisquis ex occasione huius legis, quám reges terræ Christo seruientes, ad emendandam vestram impietatem promulgauerunt, res proprias vestras cupidè appetit, displicet nobis. Quisquis denique ipsas res pauperum, vel Basilicas congregationum, quas sub nomine Ecclesiæ tenebatis (quæ omninò non debentur nisi ei Ecclesiæ, quæ vera Christi Ecclesia est) non per iustitiam, sed per auaritiam tenet, displicet nobis. Quisquis pro aliquo flagitio, vel facinore periculum à vobis suscipit, sicut suscipiuntur, qui (excepto errore quo à nobis separamini) sine crimine apud vos vixerunt, displicet nobis. Sed nec facilè ista monstratis, & si monstretis, nonnullos toleramus, quos corrigere vel punire non possumus, neq; propter paleã relinquimus aream Domini, neq; propter pisces malos rumpimus retia Domini, neque propter hędos in fine segregãdos, deserimus gregem Domini, neque propter vasa facta in contumeliam, migramus de domo Domini. Tu autem frater, quantum mihi videtur, si vanam gloriam hominum non attendas, & insensatorum contemnas opprobrium, qui

24. q. 1. quisquis. Basilicæ solæ Catholicæ Ecclesiæ debentur.

dictu-

NB. dicturi ſunt: *quare modo deſtruis quæ prius ædificabas?* ſine dubio tranſires ad Eccleſiam, quam veram ſentire te intelligo, nec huius ſententiæ tuæ teſtimonia longè peto. Tu quippe in eiuſdem tuæ Epiſtolæ principio, cui nunc reſpondeo, hæc verba poſuiſti. *Cùm optimè*, inquis, *nouerim te longè adhuc à fide Chriſtiana ſepoſitum, & ſtudiis olim deditum literarum, quietis & honeſtatis fuiſſe cultorem, cùmque poſtea conuerſus ad Chriſtianam fidem (vt ex multorum relatione cognoui) diſputationibus legalibus operam dares*: Certè ſi tu ad me illam Epiſtolam miſiſti, hæc verba tua ſunt. Cùm ergo fatearis me conuerſum ad Chriſtianam fidem, cùm ego nec ad Donatiſtas, nec ad Rogatiſtas conuerſus ſim, ſine vlla dubitatione confirmas, & præter Rogatiſtas, & præter Donatiſtas eſſe Chriſtianam fidem. Hæc ergo fides, ſicut diximus, in omnibus gentibus dilatatur, quæ ſecundum Dei teſtimonium in ſemine Abrahæ benedicuntur. Quid igitur adhuc dubitas tenere quod ſentis, niſi quia id, quod nunc ſentis, vel aliquando non ſenſiſſe, vel aliud defendiſſe confunderis, *& dum erubeſcis corrigere errorem, non erubeſcis permanere in errore, quod vtique potius erubeſcendum fuit?* Hoc eſt illud quod ſcriptura non tacuit: *Eſt confuſio adducens peccatum, & eſt confuſio adducens gratiam & gloriam.* Confuſio adducit peccatum, cùm erubeſcit quiſque prauam mutare ſententiam, ne aut inconſtans putetur, aut

NB. Abiicere errorem laudabile. Eccleſ. 4. 25

aut diuerſus à ſeipſo iudice teneatur: *ita deſcendunt in infernum viuentes*, id eſt, ſuam perditionem ſentientes, quos Dathan & Abiron & Chore hiatu terræ abſorpti, tantò antè futuros figurauerunt. *Pſal. 56. 16.* *Num. 16. 32.*

Confuſio autem adducit gratiam & gloriam, cùm erubeſcit quiſque de propria iniquitate, & pœnitendo in melius commutatur, quod te facere piget illa pernicioſa confuſione ſuperatum, ne tibi ab hominibus neſcientibus quid loquantur, obiiciatur illa Apoſtolica ſententia: *Si enim quæ deſtruxi, hæc eadem iterum ædifico, præuaricatorem me ipſum conſtituo.* Quæ ſi dici poſſet etiam in eos qui veritatem correcti prædicant, quàm peruerſi oppugnabant, in ipſum Paulum primitus diceretur, in quo Eccleſiæ Chriſti magnificabant DEVM, audientes quod euangelizaret fidem, quam aliquando vaſtabat. *Gal. 2. 18.* *Contra conuictum Apoſtaſiæ.*

Nec quenquam putes ab errore ad veritatem, vel à quocunque ſeu magno ſeu paruo peccato ad correctionem ſine pœnitentia poſſe tranſire. Sed nimis impudens error eſt, hinc velle calumniari Eccleſiam, quam tot diuinis teſtimoniis cõſtat eſſe Eccleſiam Chriſti, quod alteri tractat illos qui eam deſerant, ſi hoc ipſum pœnitendo corrigant, aliter illos qui in ea nondum fuerunt, & tunc primùm eius pacem accipiunt, illos amplius humiliando, iſtos lenius ſuſcipiendo, vtroſque diligendo, vtriſque ſanandis materna charitate ſeruiendo. *De pœnit. diſt. 1. neminem.*

Habes epiſtolam prolixiorem fortaſſe, quàm velles. Eſſet autem multò breuior, ſi te tantùm in reſpondendo cogitarem. Nunc verò etiamſi tibi nihil proſit, non puto nihil eis profuturam, qui eam legere cum Dei timore, & ſine perſonarum acceptione curauerint, Amen.

S. AVRELII AVGVSTINI,

EPISTOLA L. DE CORRECtione Donatiſtarum ad Bonifacium.

ARGVMENTVM EPISTOLÆ.



VGVSTINVS *Bonifacio viro militari de Cæſaris comitatu, commonſtrans illi Donatiſtarum hæreſin nihil habere commune cum Arriana, & qua moderatione per metum legum imperialium hæretici poſſunt ad Eccleſiæ ſocietatem reduci, tum de Donatiſtarum & Circumcellionum immanitate, poſtremò de peccato in Spiritum ſanctum non remittendo. Idem argumentum tractauit Epiſtola quadrageſima octaua.*

LAVDO,


AVDO, & gratulor, & admiror fili dilectissime Bonifaci, quòd inter curas bellorum & armorum vehementer desideras ea nosse quæ Dei sunt. Verè hinc te apparet etiam de ipsa virtute militari, fidei seruire, quam habes in Christo. Vt ergo breuiter insinuem dilectioni tuæ, inter *Arrianorum & Donatistarum* quid intersit errorem. *Arriani* patris & filii & Spiritus sancti diuersas substantias esse dicunt. *Donatistæ* autem non hoc dicunt, sed vnam trinitatis substantiam confitentur. Etsi aliqui ipsorum minorem filium esse dixerunt, quàm pater est, eiusdem tamen substantiæ non negarunt. Plurimi verò in eis hoc se dicunt omninò credere de Patre & Filio, & Spiritu sancto, quod Catholica credit Ecclesia. Nec ipsa cum illis vertitur quæstio, sed de sola communione infeliciter litigant, & contra vnitatem Christi rebelles inimicitias peruersitate sui erroris exercent.

Arrianorum & Donatist. discrimen.

Aliquando autem sicut audiuimus, nonnulli ex ipsis volentes sibi Gothos conciliare, quando eos vident aliquid posse, dicunt, hoc se credere, quod & illi credunt. Sed maiorum suorum authoritate conuincuntur, quia nec Donatus ipse sic credidisse asseritur, de cuius parte se esse gloriantur. Non te autem ista conturbent fili dilectissime: Hæreses enim & scandala futura prædicta sunt, vt inter inimicos erudiamur, ac sic

Hæreses cur sinantur esse.

 & fides

& fides & dilectio nostra possit esse probatior. Fides vtique ne ab eis decipiamur, dilectio autem, vt etiam ipsis corrigendis quantum possumus consulamus, non solum instantes ne infirmis noceant, atque vt ab errore nefario liberentur, sed etiam orantes pro eis, vt aperiat Dominus illis sensum, & intelligant scripturas, quia in sanctis libris, vbi manifestatur Dominus Christus, ibi & eius Ecclesia declaratur: isti autem mirabili cæcitate cum ipsum Christum præter scripturas nesciant, eius tamen Ecclesiam non diuinarum literarum authoritate cognoscunt, sed humanarum calumniarum vanitate confingunt.

Non minus ex scripturis Ecclesia nota, quàm Christus.

Psal. 21. 17. Agnoscunt nobiscum CHRISTVM in eo quod legitur: *Foderunt manus meas & pedes meos, dinumerauerunt omnia ossa mea: ipsi verò considerauerunt & conspexerunt me, diuiserunt sibi vestimenta mea, & super vestem meam miserunt sortem*, & nolunt agnoscere Ecclesiam in eo quod post paulum sequitur: *Commemorabuntur & conuertentur ad Dominum vniuersi fines terræ: Et adorabunt in conspectu eius vniuersæ patriæ gentium: quoniam Domini est regnum, & ipse dominabitur gentium.*

Ecclesiæ vniuersitas ordine ex scripturis extruitur.

Agnoscunt nobiscum CHRISTVM, in eo quod legitur; *Dominus dixit ad me, Filius meus es tu, ego hodie genui te*: & nolunt agnoscere Ecclesiam in eo quod sequitur: *Postula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & pos-*

Psal. 2. 7.

& possessionem tuam, terminos terræ. Agnoscunt nobiscum Christum in eo quod ipse Dominus in Euangelio loquitur: *Oportebat Christum pati, & resurgere à mortuis tertia die*: & nolunt agnoscere Ecclesiam in eo quod sequitur: *Et prædicari in nomine eius pœnitentiam & remissionem peccatorum per omnes gentes, incipientibus ab Hierusalem.* *Luc. 24. 46.*

Et innumerabilia sunt testimonia librorum sanctorum, quæ in hunc librum coarctare non debui. In quibus sicut apparet Dominus Christus, siue secundum diuinitatem, quæ æqualis est patri, *qui in principio erat verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum*, siue secundum susceptæ carnis humilitatem, *qua verbum caro factum est, & habitauit in nobis:* sic apparet etiam eius ecclesia, non in sola Africa (sicut isti impudentissima vanitate delirant) sed toto orbe terrarum diffusa. *Ioan. 1.* *Multo minus nunc in sola Germania, Anglia, aut Gallia.*

Testimoniis enim diuinis lites suas præferunt, quia in causa Cæciliani quondam Ecclesiæ Carthaginensis episcopi: cui crimina obiecerunt, quæ nec potuerunt probare nec possunt, se ab Ecclesia Catholica, hoc est, ab vnitate omnium gentium diuiserunt. Quamuis & si vera essent quæ ab eis obiecta sunt Cæciliano, & nobis possent aliquando monstrare, ipsum iam mortuum anathematizaremus: sed tamen Ecclesiam Christi, quæ non litigiosis opinionibus fingitur, sed diuinis attestationibus comproba- *Occasio schismatis Donatistici ex Cæciliano, sed male.*

batur, propter quemlibet hominem relinquere non debemus; quia *bonum est confidere in Domino, quàm confidere in homine.* Neque enim, quod sine iniuria innocentiæ illius dixerim, si peccauit Cæcilianus, ideò hæreditatem suam perdidit Christus.

Psal. 117. 8.

Facilè est homini, seu vera seu falsa de altero homine credere, sed sceleratæ impudentiæ est, propter crimina hominis, quæ orbi terrarum non possis ostendere, communionem orbis terrarum velle damnare. Vtrū Cæcilianus à traditoribus diuinorum codicum fuerit ordinatus, nescio, non vidi, ab inimicis eius audiui. Non mihi de lege Dei, non de præconio Prophetarum, non de sanctitate Psalmorum, non de Apostolo Christi, non de Christi eloquio recitatur. Ecclesiam verò toto terrarum orbe diffusam, cui non communicat pars Donati, vniuersarum scripturarum testimonia consona voce proclamant. *In semine tuo benedicentur omnes gentes*, Lex Dei dicit. *Ab ortu solis vsque ad occasum sacrificium mundum offertur nomini meo, quoniam glorificatum est nomen meum in gentibus*, per Prophetam dixit Deus. *Dominabitur à mari vsque ad mare, & à flumine vsque ad terminos orbis terrarum*, per Psalmum Dominus dixit. *Fructificans & crescens in vniuerso mundo*, per Apostolum Dominus dixit. *Eritis mihi testes in Hierusalem, & in tota Iudæa, & in Samaria & vsque ad fines terræ*, Filius Dei ore suo dixit.

Gen. 26. 4.
Malac. 1. 11.
Psal. 71. 8.
Coloss. 2. 6.
Luc. 24.
Actor. 1.

Cæci-

Cæcilianus Ecclesiæ Carthaginensis episcopus humanis litibus accusatur. Ecclesia CHRISTI in omnibus gentibus constituta, diuinis vocibus commendatur. *Ipsa pietas, veritas, charitas, nos non permittit contra Cæcilianum eorum hominum accipere testimonium, quos in Ecclesia non videmus, cui DEVS perhibet testimonium. Qui enim diuina testimonia non sequuntur, pondus humani testimonii perdiderunt.* Addo quod Cæciliani causam ipsi ad Imperatoris Constantini iudicium accusando miserunt, imò verò ipsum Cæcilianum post episcopalia iudicia, vbi eum opprimere non potuerunt, ad supradicti Imperatoris examen, pertinacissimis persecutoribus perduxerunt. Et quod in nobis modò reprehendunt, vt decipiant imperitos, dicentes, non debere Christianos contra inimicos CHRISTI aliquid à Christianis Imperatoribus postulare, ipsi priores fecerunt, quod etiam in collatione, quam simul apud Carthaginem habuimus, negare non ausi sunt, imò & gloriari ausi sunt, quod apud Imperatorem maiores eorũ criminaliter Cæcilianum fuerint insecuti, insuper addentes mendacium, quod eum illic vicerint, fecerintque damnari. Quomodò ergo nunc ipsi non sunt persecutores, qui eum accusando persequuti sint Cæcilianum, & ab eo fuerint superati, falsam sibi gloriam impudentissimo mendacio arrogare voluerunt,

NB. Hostium Ecclesiæ testimonia non admittenda.

runt, non ſolùm culpam non putantes, verùm etiam pro ſua laude iactantes, ſi probarent Cæcilianum maioribus ſuis accuſantibus fuiſſe damnatum? Quemadmodum autem in ipſa collatione modis omnibus victi ſint, quoniam valdè prolixa ſunt geſta, & tibi aliis rebus Romanæ paci neceſſariis occupato, multum eſt vt legantur, Breuiarium eorum tibi legi forſitan poterit, quod credo habere fratrem, & coëpiſcopum meum *Optatum*: aut ſi non habet, poteſt facillimè accipere de Eccleſia Sitiuenſi, quandoquidem liber iſte iam ſua prolixitate curis tuis forſitan oneroſus eſt. Hoc enim contigit Donatiſtis, quod accuſatoribus ſancti Danielis. Sicut enim in illos leones, ſic in iſtos conuerſæ ſunt leges, quibus innocentem opprimere voluerunt, niſi quod propter miſericordiam Chriſti magis pro eis ſunt iſtæ leges, quæ illis videntur aduerſæ, quoniam multi per illas correcti ſunt, & quotidiè corriguntur; & ſe eſſe correctos atque ab illa furioſa pernicie liberatos gratias agunt. Et qui oderant diligunt, moleſtasque ſibi fuiſſe ſaluberrimas leges, quantum in inſania deteſtabantur, tantum recepta ſanitate gratulantur, & in reſiduos cum quibus fuerant perituri, iam ſimili dilectione nobiſcum, vt pariter inſtemus ne illi pereant, excitantur. Moleſtus eſt enim & medicus furenti phrenetico, & pater indiſciplinato filio, ille ligando, iſte cædendo, ſed ambo dili-

Daniel. 6. 24.

Legũ contra hæreticos vtilitas.

diligendo. Si autem illos negligant, & perire permittant, iſta potius manſuetudo falſa, crudelis eſt. Si enim equus & mulus, quibus non eſt intellectus, morſibus & calcibus reſiſtunt hominibus, à quibus eorum curanda vulnera contrectantur, & cùm inter dentes eorum & calces ſæpè homines periclitentur, & aliquando vexentur, non tamen eos deſerunt, donec per dolores & moleſtias medicinales reuocent ad ſalutem: quantò magis homo ab homine, & frater à fratre, ne in æternum pereat, non eſt deſerendus, qui correctus intelligere poteſt, quantum ſibi præſtabatur beneficium, quando ſe perſecutionem perpeti querebatur? ſicut ergo Apoſtolus dicit; *Infatigabiles cùm tempus habemus operemur bonum ad omnes*: qui poſſunt Catholicorum præceptorum ſermonibus, qui poſſunt Catholicorum principum legibus, partim per eos qui diuinis admonitionibus, partim per eos qui iuſſis imperialibus parent, omnes ad ſalutem vocentur, omnes à pernicie reuocentur, quia & Imperatores quando pro falſitate contra veritatem conſtituunt malas leges, probantur benè credentes, & coronantur perſeuerantes. Quando autem pro veritate contra falſitatem conſtituunt bonas leges, terrentur ſæuientes & corriguntur intelligentes. Quicunque ergò legibus Imperatorum quæ contra veritatem Dei feruntur obtemperare non vult, acquirit grande præmium.

Pſal. 31. 9.

Gal. 6. 10.

Diſtinct. 9. cap. Impera. & duobus ſequen. & 11. q. 3. Imperatores.

mium. Quicunque autem legibus Imperatorum, quæ pro DEI veritate feruntur, cbtemperare non vult, acquirit grande supplicium. Nam & temporibus Prophetarum omnes Reges qui in populo Dei prohibuerunt, nec euerterunt quæ contra Dei præcepta fuerant instituta, culpantur, & qui prohibuerunt & euerterunt, super aliorum merita laudantur. Et rex *Nabuchodonosor*, cum seruus esset idolorum, constituit sacrilegam legem, vt simulachrum adoraretur, sed eius impiæ constitutioni qui obedire noluerunt, piè fideliterque fecerunt. Idem tamen rex, diuino correctus miraculo piam & laudabilem legem pro veritate constituit, vt *quicunque diceret blasphemiam in Deum verum Sidrac, Misac, & Abednago, cum domo suo penitus interiret*. Hanc legem si qui contempserunt, & id quod fuerat constitutum, meritò perpessi sunt, debuerunt dicere, quod isti dicunt, se iustos esse, quia ex lege Regis persecutionem patiebantur: quod vtique dicerent, si ita insanirent, sicuti isti insaniunt, qui diuidunt membra Christi, exufflant Sacramenta Christi, & de persecutione gloriantur: quia prohibentur ista facere legibus Imperatorum, quas constituerunt pro vnitate Christi, & iactant fallaciter innocétiam suam, & quam non possunt à Domino accipere, ab hominibus quærunt martyrum gloriam. Veri autem martyres illi sunt, de quibus Dominus ait;

Dan. 3. 5.

Veri martyres qui.

Beati

Beati qui persecutionem patiuntur propter iustitiam. Non ergo qui propter iniquitatem, & propter Christianæ vnitatis impiam diuisionem, sed qui propter iustitiam persecutionem patiuntur, hi martyres veri sunt. Nam & Agar passa est persecutionem à Sara, & illa erat sancta quæ faciebat, illa iniqua quæ patiebatur. Nunquid & huic persecutioni, quam passa est Agar, comparandus est sanctus Dauid quem persecutus est iniquus Saul? Valdè vtique distat, non quia patiebatur, sed quia propter iustitiam patiebatur. Et ipse Dominus cum latronibus crucifixus est. Sed quos passio iungebat, causa separabat. Ideò in Psalmo vox illa intelligenda est verorum martyrum, volentium se discerni à martyribus falsis: *Iudica me Deus, & discerne causam meam de gente non sancta.* Non dixit, discerne pœnam meam: sed discerne causam meam. Potest enim esse impiorum similis pœna, sed dissimilis est martyrum causa: quorum & illa vox est; *iniustè persecuti sunt me, adiuua me.* Ideò se dignum existimauit, qui adiuuaretur iustè, quia illi persequebantur iniustè. Nam si iustè illi persequerentur, non fuerat adiuuandus, sed corrigendus. Si autem putant, quòd nemo possit iustè aliquem persequi, sicut in collatione dixerunt, illam esse veram Ecclesiam, quæ persecutionem patitur, non quæ facit, omitto dicere, quæ superius commemoraui: quia si ita est, vt dicunt, Cæcilianus ad veram

Matth. 5. & 10.
1. Reg. 19. 22.
Lucæ 23. 33.
Psal. 42. a
Psal. 118.
Persecutio an nota Ecclesiæ.

veram Ecclesiam pertinebat, quando eum maiores illorum vsque ad Imperatoris iudicium accusando persequebantur. Nos enim dicimus, ideò illum ad veram Ecclesiam pertinuisse, non quia persecutionem patiebatur, sed quia propter iustitiam patiebatur. Illos autem ideò fuisse alienatos ab Ecclesia, non quia persequebantur, sed quia iniustè persequebantur. Nos itaque hoc dicimus. Illi verò si non quærunt causas, quare quisque faciat persecutionem, vel quare patiatur: sed hoc putant esse signum veri Christiani, si persecutionem non faciat, sed patiatur: sine dubio Cæcilianum in ea definitione constituunt, qui non faciebat, sed patiebatur. Maiores autem suos ab ea definitione foras mittunt, qui faciebant, non patiebantur. Sed hoc, vt dixi, omitto: illud dico: si Ecclesia vera ipsa est quæ persecutionem patitur, non quæ facit: quærant ab Apostolo, quam Ecclesiam significabat Sara, quando persecutionem faciebat ancillæ. Liberam quippe matrem nostram, cœlestem Hierusalem, id est veram Dei Ecclesiam, in illa muliere dicit fuisse figuratam, quæ affligebat ancillam. Si autem melius discutiamus, magis illa persequebatur Saram superbiendo, quàm illam Sara coercendo: illa enim dominæ faciebat iniuriam, ista imponebat superbiæ disciplinam. Deinde quæro, si boni & sancti nemini faciunt persecutionem, sed tantummodo patiuntur: cuius

23, q 4. Ecclesia.

Gal. 4. 26.

Gen. 16. 4.

putant

putant esse in Psalmo vocem, vbi legitur; *Persequar inimicos meos & compræhẽdam illos, & non conuertar donec deficiant?* Si ergo verum dicere vel agnoscere volumus, est persecutio iniusta, quam faciunt impii Ecclesiæ Christi, & est iusta persecutio, quam faciunt impiis Ecclesiæ Christi. Ista itaque beata est, quæ *persecutionem patitur propter iustitiam*, illi verò miseri, qui persecutionem patiuntur propter iniustitiam. Proinde ista persequitur diligendo, illi sæuiendo. Ista vt corrigat, illi vt euertant. Ista vt reuocet ab errore, illi vt præcipitent in errorem. Denique ista persequitur inimicos & compræhendit, donec deficiant in vanitate, vt in veritate proficiant. Illi autem retribuentes mala pro bonis, quia eis consulimus ad æternam salútem, etiam temporalem nobis conantur auferre, sic amantes homicidia, vt in seipsis ea perficiant quando in aliis perpetrare non possunt. Sicut enim charitas laborat Ecclesiæ sic eos ab illa perditione liberare, vt eorum nemo moriatur: sic eorum laborat furor, aut nos occidere vt suæ crudelitatis pascant libidinem, aut etiam se ipsos, ne perdidisse videantur occidendorum hominum potestatem. Qui autem nesciunt consuetudinem illorum, putant eos modo se ipsos occidere, quando ab eorum insanissima dominatione per occasionem legum istarum, quæ pro vnitate sunt constitutæ, tanti populi liberantur. Qui autem sciunt, & ante ipsas leges

Psal. 17.38.

Matth. 5.10

leges quid facere ſoleant, non eorum mirantur mortes, ſed recordantur mores: maximè quando adhuc cultus fuerat idolorum, ad paganorum celeberrimas ſolennitates ingentia turbarum agmina veniebant, non vt idola frangerent, ſed vt interficerentur à cultoribus idolorum. Nam illud ſi accepta legitima poteſtate facere vellent, ſi quid eis accidiſſet, poſſent habere qualemcunque vmbram nominis martyrum, ſed ad hoc ſolùm veniebant, vt integris idolis ipſi perimerentur.

Prodigioſa mortis cupiditas.

Nam ſinguli quique valentiſſimi iuuenes cultores idolorum, quis quot occideret, ipſis idolis vouere conſueuerant. Quidam etiam ſe trucidandos armatis viatoribus ingerebant, percuſſuros eos ſe, nihil ab eis perimerentur, terribiliter comminantes. Nonnunquam & à iudicibus tranſeuntibus extorquebant violenter, vt à carnificibus vel ab officio ferirentur. Vnde quidam illos ſic illuſiſſe perhibetur, vt eos tanquam percutiendos ligari & dimitti iuberet, atque ita eorum impetum incruentus & illæſus euaderet. Iam verò per abrupta præcipitia, per aquas & flammas occidere ſe ipſos quotidianus illis ludus fuit. *Hæc enim eos tria mortis genera diabolus docuit, vt mori volentes, quando non inueniebant quem terrerent, vt eius gladio ferirentur, per ſaxa ſe mitterent, aut ignibus gurgitibusque donarent.* Quis autem illos hæc docuiſſe credendus eſt, poſſidens

dens cor eorum, niſi ille qui & Saluatori noſtro, vt ſe de pinna templi præcipitaret, tanquam de lege ſuggeſſit? Cuius ſuggeſtionem à ſe vtique prohiberent, ſi magiſtrum Chriſtum in corde portarent. Sed quia in ſe diabolo potius dederunt locum, ac ſic pereunt, quemadmodum grex ille porcorum, *Matth. 5.* quem de monte in mare turba dæmonum deiecit: aut illis mortibus erepti, pio matris Catholicæ gremio collecti, ita liberãtur, quemadmodnm eſt à Domino liberatus, quem pater eius à dæmonio ſanandum obtulit, dicens: *quod aliquando cadere in aquam, aliquando in ignem ſoleret.* *Matth. 17. 15.* Vnde magna in eos fit miſericordia, cùm etiam per iſtas Imperatorum leges, ab illa ſecta, vbi per doctrinas dæmoniorum mendaciloquorum mala iſta didicerunt, prius eripiuntur inuiti, vt in Catholica poſtea bonis præceptis & moribus ſanentur aſſueti. Nam multi eorum quorum iam in vnitate Chriſti, pium fidei feruorem charitatemque miramur, cum magna lætitia Deo gratias agunt, quòd illo errore caruerunt, vbi mala iſta bona putauerunt: quas gratias modò volentes non agerent, niſi prius etiam nolentes ab illa nefaria ſocietate diſcederent. Quid de illis dicamus, qui nobis quotidiè confitentur, quòd iam olim volebant eſſe Catholici, ſed inter eos habitãbant, inter quos id quod volebãt eſſe, non poterant per infirmitaté timoris, vbi ſi vnum verbũ pro Catholica dicerent, & ipſi

Timore periculi multi à Catholica detinentur.

& dò-

& domus eorum funditùs euerterétur. Quis eſt tam demens, qui neget iſtis debuiſſe per iuſſa Imperialia ſubueniri, vt de tanto eruerentur malo, dum illi quos timebant timere coguntur, & eodẽ timore, aut etiam ipſi corriguntur, aut certè cùm ſe correctos eſſe confingunt, correctis parcunt, à quibus anteà timebantur. Si autem ſe ipſos occidere voluerint, ne illi qui liberandi ſunt liberentur, & eo modo liberantium terrere pietatem, vt dum timetur, ne quidam perditi pereant, non eruantur perditioni, qui vel iam nolebant perire, vel coërciti poterant non perire; quid hic agit charitas Chriſtiana, præſertim cùm illi, qui ſuas mortes voluntarias & furioſas minantur, in populorum liberandorum comparatione perpauci ſint? Quid agit ergo fraterna dilectio? vtrum dum paucis tranſiorios ignes metuit caminorum, dimittit omnes æternis ignibus gehennarum: & tam multos vel iam volentes, vel poſtea non valentes per Catholicam pacẽ ad vitam venire perpetuam relinquit in interitum ſempiternũ, cauendo ne quidam voluntario moriãtur interitu, qui viuunt ad impedimẽtum ſalutis aliorũ, quos non permittunt ſecundũ Chriſti doctrinã viuere, vt eos doceant, quocunq; tẽpore ſecundum conſuetudinẽ doctrinæ diabolicæ ad eas, q̃ in illis modò timẽtur mortes voluntarias feſtinare: an potius cõſeruat quos poteſt, & ſi ſpõtè pereant quos conſeruare non poteſt? Vt n. omnes viuant

Ignis.

uant ardenter exoptat: ſed omnes ne pereant, plus laborat. Gratias autem Domino, quod & apud nos, non quidem in omnibus, ſed valdè in pluribus locis, & per alias Africæ partes, ſine vllis iſtorum inſanorum mortibus, pax Catholica cucurrit & currit. Ibi autem illa funeſta contingunt, vbi eſt tam furioſum & inutile hominum genus, qui & aliis temporibus eadem facere conſueuerunt. Et prius quidem quàm iſtæ leges à Catholicis Imperatoribus mitterentur, pacis atque vnitatis Chriſti paulatim doctrina creſcebat, & in eam quiſque ſicut diſcebat & volebat & poterat ex ipſa parte tranſibat, cùm tamen apud illos perditorũ hominum dementiſſimi greges in diuerſis cauſis quietem innocentium perturbarent. Quis non Dominus ſeruum ſuum timere compulſus eſt, ſi ad illorum patrocinium confugiſſet? Quis euerſori minari ſaltem audebat? quis conſumptorem apothecarum, quis quemlibet poterat exigere debitorem, auxilium eorum defenſionemque poſcentem, timore fuſtium & incendiorum mortisque præſentis? Peſſimorum ſeruorum vt liberi abſcederent tabulæ frangebantur, extorta debitoribus chirographa reddebantur. Quicunque dura illorum verba contempſerant, durioribus verberibus quod iubebant facere cogebantur, innocentium qui eos offenderãt domus aut deponebantur ad ſolum, aut ignibus cremabantur. Quidam patresfamiliâs honeſto

Crudelitas Circumcellionum.

loco nati, & generoſo cultu educati, vix viui poſt eorum cædes ablati ſunt, vel vincti ad molam, & eam in gyrum ducere, tanquam iumenta cõtemptibilia verbere adacti ſunt. Quod enim de legibus auxilium, á ciuilibus poteſtatibus aduerſus eos aliquid valuit? quis in præſentia eorum officialis anhelauit, quiſque quod illi noluiſſent, exactor exegit? Quis eos qui eorum cædibus extincti ſunt vindicare tentauit, niſi quod propria de illis pœnas poſcebat inſania, cum alii prouocandis in ſe gladiis hominum, quos vt ab eis ferirentur, morte terrebant, alii per varia præcipitia, alii per aquas, alii per ignes, ſe in mortes voluntarias vſquequaq; mittebant, & animas ferales à ſe ſibi illatis ſuppliciis proiiciebant? Horrebant iſta plurimi in ipſa ſuperſtitione hæretica conſtituti, & cũ innocentiæ ſuæ ſufficere arbitrarentur, quòd ſibi talia diſplicerent, dicebatur eis à Catholicis: Si innocentiam veſtram mala iſta non polluunt, quomodo dicitis orbem Chriſtianũ vel falſis vel certè ignotis Cæciliani peccatis eſſe pollutum? Quomodo vos nefario ſcelere, ab vnitate catholica, tanquam ab area dominica ſeparatis, quæ vſque ad tempus ventilationis neceſſe eſt vt habeat & frumentum in horreo recondendũ, & paleam ignibus conſumendam? Atque ita quibuſdam ratio reddebatur, vt aliqui ad vnitatem Catholicam etiam inimicitias perditorum parati ſuſtinere tranſirent: ſed plures, quamuis id vellent,

eos

eos tamen homines, quibus tanta fuerat licentia sæuiendi, inimicos facere non audebant. Nonnulli quippe illos, cùm ad nos transissent, crudelissimos passi sunt. Accidit etiam vt apud Carthaginem quendam diaconum suum, nomine MAXIMIANVM, contra Episcopum suum superbientem, quidam Episcoporum eiusdem partis facto schismate & in plebe Carthaginis diuisa parte Donati ordinarent Episcopum contra Episcopum. Quod cùm eorum pluribus displiceret, eundem Maximianum cum aliis duodecim, qui eius ordinationi præsentes affuerant damnauerunt, cæteris autem ad eandem societatem schismatis pertinentibus, die constituto facultatem redeũdi dederunt. Sed postea ex ipsis duodecim quosdam, & ex illis quibus dilatio data fuerat, post diem positum redeuntes, propter pacem suam in suis honoribus susceperunt, & quoscunque extra ipsorum communionem damnati baptizauerant, rebaptizare non ausi sunt. Cœpit hoc eorum factum contra illos pro Catholica multum valere, vt ora eorũ penitus clauderentur. Quæ res cùm (sicut oportebat) ad sanandos ab schismate animos hominum spargeretur instãtius, & quaquà versum poterat Catholicorum sermonibus ac disputationibus monstraretur: eos pro pace Donati & damnatos suos in honorẽ suum integrum suscepisse; & baptismum quem damnati, vel etiam dilati foris ab Ecclesia eorũ dederant,

I 2 non

non ausos fuisse rescindere, & orbi terrarum contra pacem Christi contaminationem (nescio quorum) obiicere peccatorum, & euacuare baptismum in illis quoque Ecclesiis datum, vnde in Africam venit ipsum Euangelium: plurimi confundebantur, & manifestæ veritati erubescentes corrigebantur, solito crebriùs, & multò magis vbicunque ab eorum sæuitia respirabat aliquanta libertas. Tum verò illi sic exarserunt; & tantis sunt odiorum stimulis incitati, vt contra eorum insidias atque violentias, & apertissima latrocinia, vix vllæ nostrę communionis Ecclesiæ possent esse securæ, vix vlla via tuta, quà iter agerent, quicunque aduersus eorum rabiem pacem Catholicam prædicarent, eorumque dementiam perspicua veritate conuincerent. Vsq; adeò prorsus non solum laicis, vel quibuslibet clericis, sed ipsis quoque Episcopis Catholicis, quodam modo proponebatur dura conditio. *Aut enim tacenda erat veritas, aut eorum immanitas perferenda.* Sed si veritas taceretur, non solùm nemo fuerat eius silentio liberandus, sed multi etiam illorum seductione perdendi. Si autem veritatis prædicatione furor eorum ad sæuiendum prouocaretur; aliquibus liberatis nostrisque firmatis, rursus à sequenda veritate, formido impediret infirmos. Cùm igitur his angustiis affligeretur Ecclesia, quisquis existimat omnia potius sustinenda, quàm Dei auxilium, vt per Christianos Imperatores ferre-

ferretur, fuiſſe poſcendum, parum attendit non bonam de hac negligentia reddi potuiſſe rationem. Quod enim dicunt, qui contra ſuas impietates leges iuſtas conſtitui nolunt: *non petiſſe à regibus terræ Apoſtolos talia, non conſiderant alıud fuiſſe nunc tempus, & omnia ſuis temporibus agi.* Quis enim tunc in Chriſtum crediderat Imperator, qui ei pro pietate contra impietatem leges ferendo ſeruiret, quando adhuc illud propheticum complebatur: *Quare fremuerunt gentes: & populi meditati ſunt inania? Aſtiterunt reges terræ & principes conuenerunt in vnum aduerſus Dominum & aduerſus Chriſtum eius.* Nondum autem agebatur, quod paulò poſt in eodem Pſalmo dicitur: *Et nunc reges intelligite, erudimini qui iudicatis terram: Seruite Domino in timore, & exultate ei cum tremore.* Quomodo ergo reges Domino ſeruiunt in timore, niſi ea, quæ contra iuſſa Domini fiunt, religioſa ſeueritate prohibendo atque plectendo? Aliter enim ſeruit quia homo eſt, aliter quia etiam rex eſt: quia homo eſt, ei ſeruit viuendo fideliter, quia verò etiam rex eſt, ſeruit leges iuſta præcipientes; & contraria prohibentes, conuenienti vigore ſanciendo. Sicut ſeruiuit Ezechias, lucos & templa idolorum, & illa excelſa quæ contra Dei præcepta fuerant conſtructa, deſtruendo. Sicut ſeruiuit Ioſias, talia & ipſe faciendo. Sicut ſeruiuit rex Niniuitarum, vniuerſam ciuitatem ad placandum Dominum compellendo. Sicut

23. q. 4. ſi Eccleſia.
Pſal. 2. 1.
Ibid. v. 10.
4. Reg. 18. 4.
4. Reg. 23. v. 4. 5.
Ionæ 3. v. 6.

Daniel. 14. 21. ſeruiuit Darius idolum frangendum in poteſtatem Danieli dando, & inimicos eius leonibus ingerendo. Dan. 3. 96. Sicut ſeruiuit Nabuchodonoſor, de quo iam diximus, omnes in regno ſuo poſitos à blaſphemando Deo lege terribili prohibendo. In hoc ergo ſeruiunt Domino reges, in quãtum ſunt reges, cùm ea faciunt ad ſeruiendum illi, quæ nõ poſſunt facere niſi reges. Cũ itaq; nondum reges Domino ſeruirent temporibus Apoſtolorũ, ſed adhuc meditarentur inania aduerſus Deũ, & aduerſus Chriſtum eius, vt Prophetarũ prædicta omnia complerentur, non vtique tunc poſſent impietates legibus prohiberi, ſed potius exerceri. Sic enim ordo temporum voluebatur, vt & Iudæi occiderent prædicatores Chriſti, putantes ſe officium Deo facere, ſicut prædixerat Chriſtus, & gentes fremerent aduerſus Chriſtianos, & omnes patientia martyrum vinceret. Poſteà verò quàm cœpit impleri quod ſcriptum eſt: *Et adorabunt eum omnes reges terræ, omnes gẽtes ſeruient illi*: Pſal. 71. 11. qui mente ſobrius regibus dicat. Nolite curare in regno veſtro, à quo teneatur vel oppugnetur Eccleſia Domini veſtri, non ad vos pertineat in regno veſtro, quis velit eſſe ſiue religioſus, ſiue ſacrilegus: quibus dici non poteſt, non ad vos pertineat in regno veſtro, quis velit pudicus eſſè, quis impudicus? Cur enim cùm datum ſit diuinitus homini *liberum arbitrium*, adulteria legibus puniantur & ſacrilegia permittantur? An fidem

non

non seruare leuius est animam Deo, quàm fœminam viro? Aut si ea quæ non contemptu, sed ignorantia religionis committuntur, mitius vindicanda, nunquid ideò negligenda sunt? Melius est quidem, quis dubitauerit, ad Deum colendum doctrina homines duci, quàm pœnæ timore vel dolore compelli? Sed non quia isti meliores sunt, ideo illi qui tales non sunt, negligendi sunt. Multis enim profuit (quod experimentis probauimus & probamus) prius timore vel dolore cogi, vt postea possint doceri, aut quod iam verbis didicerant, opere sectari. Proponunt nobis quidam sententiam secularis authoris, qui dixit: *Pudore & liberalitate liberos retinere, satius credo esse quàm metu.* Hoc quidem verum est, sed sicut meliores sunt, quos dirigit amor, ita plures sunt, quos corrigit timor. Nam vt de isto authore istis respondeatur, apud illum etiam legunt: *Tu nisi malo coactus, rectè facere nescis.* Porrò autem scriptura diuina, & propter illos meliores dixit, *Timor non est in charitate, sed perfecta charitas forâs mittit timorem.* Et propter hos inferiores qui plures sunt, ait: *Verbis non emendabitur seruus durus, si enim & intellexerit, non obediet.* Cùm dixit, verbis eum non emendari: non eum iussit deseri, sed tacitè admonuit, vnde debeat emendari. Alioquin non diceret: verbis non emendabitur, sed tantummodo diceret, non emendabitur. Alio quoque loco dicit, non solùm

Obiectio contra seueritatem legum Imperial.

Terent in Adelph.

1. *Ioan* 4.18.

Prou. 29. 19

seruum, sed etiam *filium indisciplinatum plagis esse coercendum, & magno fructu.* Prouer. 23. 14. *Nam tu quidem*, inquit, *percutis eum virga, animam verò eius liberabis à morte.* Prouer. 13. 24. Et alibi dicit; *Qui parcit baculo, odit filium suum*, Da qui recta fide veròque intellectu, totis animæ suæ viribus dicas: Psal. 41. 3. *Sitiuit anima mea ad Deum fontem viuum, quando veniam & apparebo ante faciem Dei*: & huic tali, non solùm temporalium pœnarum, vel imperialium legum, sed nec gehennarum timor est necessarius, cui tam desiderabile bonum est adhærere Deo, vt non solùm ab illa felicitate alienari, tanquam magnum supplicium perhorescat, verùm etiam differri molestè ferat. Sed tamen antequam dicant boni filii, Philip. 1. 23. *Concupiscentiam habemus dissolui, & esse cum Christo*: multi prius tanquam mali serui, & quodammodo improbi fugitiui, ad Dominum suum temporalium flagellorum verbere reuocantur. Ioan. 15. 13. Marc. 1. 16. Quis enim nos potest amplius amare quàm Christus, Matt. 4. 18. *qui animam suam posuit pro ouibus suis?* Act. 9. 4. Et tamen cùm Petrum & alios Apostolos solo verbo vocasset, Paulum prius Saulum, Ecclesiæ suæ postea magnum ædificatorem, sed horrendum antea vastatorem, non solùm voce compescuit, verumetiam potestate prostrauit, atque vt infidelitatis tenebris sæuientem ad desiderandum lumen cordis vrgeret, prius corporis cœcitate percussit. Si pœna illa non esset, non ab ea postmodum sanaretur. Et quando apertis

tis oculis nihil videbat, ſi eos ſaluos haberet non ad impoſitionem manus Ananiæ, vt eorum aperiretur obtutus, tanquam ſquamas quibus clauſus fuerat inde cecidiſſe ſcriptura narraret. *Vbi eſt quod iſti clamare conſueuerunt, liberum eſt credere, vel non credere.* Cui vim Chriſtus intulit? quem coëgit? Ecce habent Paulum Apoſtolum, agnoſcant in eo prius cogentem Chriſtum, & poſtea docentem: prius ferientem, & poſtea conſolantem. Mirum eſt autem quomodo ille qui pœna corporis ad Euangelium coactus intrauit: *plus illis omnibus*, qui ſolo verbo vocati ſunt, *in Euangelio laborauit.* Et quẽ maior timor compulit ad charitatem, eius perfecta charitas foras miſit timorem. Cur ergo non cogeret Eccleſia perditos filios vt redirent, ſi perditi filii coëgerunt alios vt perirent? Quamuis etiam illos quos non coegerunt, ſed tantummodo ſeduxerunt, ſi per terribiles, ſed ſalubres leges in eius gremio reuocentur, blandius pia mater amplectitur, & de illis multò ampliùs, quàm de his quos nunquam perdiderat gratulatur. An non pertinet ad diligentiam paſtoralem, etiam illas oues quæ non violenter ereptæ, ſed blandè leniterque ſeductæ: à grege aberrauerint, & ab alienis cœperint poſſideri, inuentas ad ouile dominicum, ſi reſiſtere voluerint, flagellorum terroribus, vel etiam doloribus reuocare: præſertim quoniam ſi apud fugitiuos & prædones ſeruos fœcun-

Alia exceptio.

1. Cor. 15. 10.

ditate multiplicentur, plus habet iuris quod in eis *Dominicus Character* agnoſcitur, qui in eis quos ſuſcipimus, nec tamen rebaptizamus, minimè violatur? *Sic enim error corrigendus eſt ouis, vt non in ea corrumpatur ſignaculum redemptoris.* Neque enim ſi quiſquam regio charactere à ſignato deſertore ſignetur, & accipiat indulgentiam, atque ille redeat ad militiam, ille autem eſſe in militia, in qua nondum erat, incipiat, in aliquo eorum character reſcinditur, an non potius in ambobus agnoſcitur, & honore debito quoniã regius eſt approbatur? Quia ergo non poſſunt malũ eſſe oſtendere quo coguntur, nec ad bonum ſe cogi oportere contendunt, ſed á Chriſto coactum oſtendimus Paulũ: imitatur itaq; Eccleſia in iſtis cogendis Dominũ ſuum, quæ prius vt neminé cogeret expectauit, vt de fide regum atq; gentium prædicatio prophetica compleretur. Etiam hinc enim non abſurdè intelligitur illa Apoſtolica ſententia, vbi Paulus beatus

2.Cor.10. dicit: *Parati vlciſci omnem inobedientiam, cûm completa fuerit prior obediẽtia veſtra.* Vnde &

Luc.14.17. ipſe Dominus ad magnam cœnam ſuã prius adduci iubet conuiuas, poſtea cogi. Nam cùm ei ſerui ſui reſpondiſſent: *Domine fa-*

Luc.14.23. *ctum eſt quod iuſſiſti, & adhuc eſt locus*; *Exite, inquit, in vias & ſepes, & quoſcunq; inueneritis, cogite intrare,* In illis ergo qui leniter primò adducti ſunt, completa eſt prior obedientia. In iis autem qui coguntur, inobedientia coercetur.

ercetur. Nam quid eſt,*cogite intrare* : cùm primò dictum eſſet, *Adducite*: & reſponſum eſſet, *Factum eſt quod iuſſiſti, & adhuc eſt locus?* Si miraculorum terroribus cogendos voluiſſet intelligi, magis ad eos, qui prius vocati ſunt diuina miracula multa facta ſunt, maximè ad Iudæos, de quibus dictum eſt: *Iudæi ſigna petunt.* In ipſis quoque gentibus talia temporibus Apoſtolorum miracula Euangelium commendauerunt, vt ſi talibus cogi iuberentur, priores (vt dixi) potius conuiuæ coacti eſſe meritò crederentur. Quapropter ſi poteſtate, quam per religionem ac fidem regum, tempore quo debuit, diuino munere accepit Eccleſia, hi qui inueniuntur in viis & in ſepibus, id eſt, in hæreſib. & ſchiſmatibus coguntur intrare, non quia coguntur reprehendant, ſed quò cogantur, attendant. Conuiuium Domini, vnitas eſt corporis Chriſti, non ſolum in ſacramento altaris, ſed etiam in vinculo pacis. De ipſis ſanè poſſumus veriſſimè dicere, quod neminem cogant ad bonum. Quoſcunque enim cogunt, non cogunt niſi ad malum. Veruntamen antequam iſtæ leges, quibus ad conuiuium ſanctum coguntur intrare, in Africam mitterentur, nonnullis fratribus videbatur, in quibus & ego eram; quamuis Donatiſtarum rabies vſquequaque ſæuiret, non eſſe petendum ab Imperatoribus, vt ipſam hæreſim iuberent omninò non eſſe, pœnam conſtituendo eis, qui in illa eſſe voluiſſent, ſed hoc

1. Cor. 1. 22.

Auguſtini & aliorum ſententia prior, de modo agendi cum hæreticis.

ſed hoc potius conſtituerent, vt eorum furioſas violentias non paterentur, qui veritatem Catholicam vel prædicarent loquendo, vel legerent conſtituendo. Quod eo modo fieri aliquatenus poſſe arbitramur, ſi legem piiſſimæ memoriæ *Theodoſii*, quam generaliter in omnes hæreticos ꝓmulgauit, vt quiſquis eorum Epiſcopus, vel clericus vbilibet eſſet inuentus, decem libris auri mulctaretur, expreſſiùs in Donatiſtas, qui ſe negabant hæreticos, ita confirmarent, vt non omnes ea mulcta ferirentur, ſed in quorum regionibus aliquas violentias à Clericis, vel à Circumcellionibus, vel populis eorum Eccleſia Catholica pateretur: vt ſcilicet poſt proteſtationem Catholicorum, qui fuiſſent iſta perpeſſi, iam cura ordinum ad perſoluendam mulctam epiſcopi ſiue miniſtri cæteri tenerentur. Ita enim exiſtimabamus eis territis, & nihil tale facere audentibus, poſſe liberè doceri & teneri Catholicam veritatem, vt ad eam cogeretur nemo, ſed eam qui ſine formidine vellet ſequeretur, ne falſos & ſimulatores Catholicos haberemus. Et quamuis aliis fratribus aliud videretur, iam ætate grauioribus, vel multarum ciuitatum & locorum exempla currentibus, vbi firmam & veram Catholicam videbamus, quæ tamen ibi talibus beneficiis Dei conſtituta eſſet atque firmata, dum per priorum imperatorum leges ad communionem homines Catholicam cogerentur: obtinuimus

Lex in hæreticos.

mus tamen, vt illud potius quod dixi ab Imperatoribus peteretur, decretum eſt in concilio noſtro, legati ad comitatum miſſi ſunt. Sed Dei maior miſericordia, qui ſciret, harum legum terror & quædam medicinalis moleſtia quàm multorum eſſet prauis vel frigidis animis neceſſatia, & illi duritiæ, quæ verbis emendari non poteſt, ſed tamen aliquantula ſeueritate diſciplinæ poteſt, id egit vt legati noſtri quod ſuſceperant, obtinere non poſſent. Iam enim nos præuenerant ex aliis locis quædam Epiſcoporum querelæ grauiſſimæ, qui mala fuerant ab ipſis multa perpeſſi, & à ſuis ſedibus exturbati, præcipuè horrenda & incredibilis cædes *Maximiani Epiſcopi Catholicæ Eccleſiæ Vagienſis* effecit, vt noſtra legatio iam quid ageret, non haberet.

Iam enim lex fuerat promulgata, vt tantæ immanitatis hæreſis Donatiſtarum, cui crudelius parci videbatur, quàm ipſa ſæuiebat, non tantùm violenta eſſe, ſed omnino eſſe non ſineretur impunè : non tamen ſupplicio capitali propter ſeruandam etiam circa indignos manſuetudinem Chriſtianam, ſed pecuniariis damnis propoſitis, & in epiſcopos vel miniſtros eorum exilio conſtituto, ſupradictum quippe Epiſcopum Vagienſem, quoniam apud ordinarium iudicem dicta inter partes ſententia, obtinuerat baſilicam, quam illi, cum Catholica eſſet, inuaſerunt, ſtantem ad altare irruentes horren-

Lex pecuniaria in Donatiſtas.

Periculum Maximiani a Donatistis.

horrendo impetu & furore crudeli, fustibus & huiuscemodi telis, lignis denique eiusdem altaris effractis immaniter ceciderunt, pugione etiam percusserunt in inguine, quo vulnere sanguis effluens eum exanimem redderet, nisi ei ad vitam maior sæuitia eorum profuisset. Nam cùm grauiter sauciatum per terram insuper traherent, exundanti venæ puluis obstrusus sanguine obtinuit, cuius effusione ibat in mortem. Deinde cùm ab eis tandem relictum, nostri cum Psalmis auferre tentarent, illi ira ardentiore succensi, eum de portantium manibus abstulerunt, malè mulctatis fugatisque Catholicis, quos ingenti multitudine superabant, & facilè sæuiendo terrebant. Inde in quandam turrem leuatum, iam defecisse arbitrantes, cùm ille adhuc viueret, abiecerunt.

Sed quodam molli aggere exceptus, & à quibusdam nocte transeuntibus per lucernam conspectus, agnitus atque collectus, & ad religiosam domum apportatus; adhibita magna cura post multos dies cùm ab illa desperatione recreatus esset, occisum eum tamen fama scelere Donatistarum etiam trans mare nunciauerat: quod posteaquam venit & vita eius inopinatissima apparuit, cicatricibus suis, tam multis, tam ingentibus, tam recentibus, non frustra fama mortuum se nunciasse monstrauit. Auxilium ergo petiuit ab Imperatore Christiano, non tam sui vlcis-

vlciſcendi cauſa, quàm tuendæ Eccleſiæ ſibi creditæ. *Quod ſi prætermiſiſſet, non eius fuiſſet laudanda patientia, ſed negligentia meritò culpanda.* Neque enim & Apoſtolus Paulus vitæ ſuæ tranſitoriæ conſulebat ſed Eccleſiæ DEI, quando contra illos, qui eum occidere conſpirauerant, conſilium illorum Tribuno vt proderetur effecit. Vnde factum eſt, vt eum ad locum quo fuerat perducendus, deduceret miles armatus, ne illorum pateretur inſidias. Romanas etiam leges implorare minimè dubitauit, *ciuem Romanum ſe eſſe* proclamans, quos tunc affligi verberibus non licebat. Itemque ne Iudæis eum interimere cupientibus traderetur, Cæſaris popoſcit auxilium, Romani quidem principis, ſed non Chriſtiani. Vbi ſatis oſtendit, quid facere deberent poſtea CHRISTI diſpenſatores, quando imperatores Chriſtianos periclitante Eccleſia reperirent.

Imploratio auxilii ſecularis.

Act. 23. 17.

Act. 22. 25.

Act. 25. 11.

Hinc ergo factum eſt, vt imperator religioſus & pius perlatis in notitiam ſuam talibus cauſis, mallet piiſſimis legibus illius impietatis errorem omninò corrigere, & eos qui contra CHRISTVM Chriſti ſigna portarent, ad vnitatem Catholicam terrendo & coërcendo redigere, quam ſæuiendi tantummodò auferre licentiam, & errandi ac pereundi relinquere. Iam verò cùm ipſæ leges veniſſent in Africam, præcipuè illi qui quærebant occaſionem, aut ſæ-

NB.

uitiam

uitiam furentium metuebant, aut ſuos verecundabantur offendere; ad Eccleſiam continuò tranſierunt, multi etiam qui ſola illic à parentibus tradita conſuetudine tenebantur, qualem verò cauſam ipſa hæreſis haberet, nunquam anteà cogitauerant, nunquam quærere & conſiderare voluerant; mox vbi cœperunt aduertere, & nihil in ea dignum inuenire, propter quod tanta damna paterentur, ſine vlla difficultate Catholici facti ſunt. Docuit enim eos ſollicitudo, quos negligentes ſecuritas fecerat. Iſtorum autem omnium præcedentiũ authoritatem & perſuaſionem ſecuti ſunt multi, qui minus idonei erant per ſe ipſos intelligere, quod diſtaret inter Donatiſtarum errorem, & Catholicam veritatem: ita cùm magna agmina populorum vera mater in ſinum gaudens reciperet, remanſerunt turbæ duræ, & in illa peſte infelici animoſitate ſiſtentes. Ex his quoque plurimi ſimulando communicauerunt, alii paucitate latuerunt. Sed illi qui ſimulabant paulatim aſſueſcendo, & prædicationem veritatis audiendo, maximè poſt collationem & diſputationem, quæ inter nos & Epiſcopos eorum apud Carthaginem fuit, ex magna parte correcti ſunt. In quibuſdam verò locis, vbi pertinacior & impacatior præualuit multitudo, cui reſiſtere non poterant pauciores, quorum erat melior de communione ſententia, aut turbæ authoritati paucorum potentiorum ſubditæ in malam partem,

tem,obtemperarunt, aliquando diutius laboratum est. Ex his sunt in quibus adhuc laboratur, in quo labore multi Catholici, & maximè episcopi & clerici horrenda & dura perpessi sunt, quæ commemorare longum est, quando quorundam, & oculi extincti sunt, & cuiusdam episcopi manus & lingua præcisa est: nonnulli etiam trucidati sunt. Taceo crudelissimas cædes, & domorum deprædationes, per nocturnas aggressiones & incendia, non solum priuatorum habitaculorum, verum etiam Ecclesiarum, in quas flammas non defuerunt, qui & codices dominicos mitterent. Sed nos huiusmodi afflictos malis, consequens consolatus est fructus. Nam vbicunque à perditis ista commissa sunt, ibi feruentius atque perfectius vnitas Christiana profecit, & vberius laudatur Dominus, qui donare dignatus est, vt serui eius passionibus suis lucrarentur fratres suos, & oues eius mortifero errore dispersas in pacem salutis æternæ suo sanguine congregarent. Potens est Dominus & misericors, quem quotidiè rogamus, vt etiam cœteris *det pœnitentiam & resipiscant de diaboli laqueis, à quo captiui tenentur secundum ipsius voluntatem*, qui non quærunt nisi vnde nobis calumnientur, & retribuant mala pro bonis: quia nec intelligere nouerunt, quem circa eos animum dilectionemq; seruemus; & quomodo eos velimus secundum Domini præceptũ, quod per *Ezechielem* Prophetam

Donatistarum inhumanitas.

1. Tim. 2. 26

Psal. 34. 12

in Pasto-

Ezec.34.4. Pastoribus dedit, *reuocare errantes, & perditos inuenire.* Illi autem quod & alibi aliquando diximus, & quod nobis faciunt, sibi non imputant, & quod sibi faciunt, nobis imputant. Quis enim nostrum velit nõ solum aliquem illorum perire, verũ etiam aliquid perdere? Sed si aliter non meruit pacem habere do-
2.Reg.18.14. mus Dauid, nisi *Absalon* filius eius in bello, quod contra patrem gerebat, fuisset extinctus, quamuis magna cura mandauerit suis, vt eum quantum possent viuum saluumque seruarent, vt esset cui pœnitenti paternus affectus ignosceret, quid ei restitit, nisi perditum flere, & sui regni pace acquisita suam mœstitiã consolari? Sic ergo Catholica mater bellantibus aduersus eã quid aliud quàm filiis suis, quia vtique ex ipsa magna arbore, quæ ramorum suorum porrectione toto orbe diffunditur, iste in Africa ramusculus fractus est, cum eos charitate parturiat, vt redeant ad radicem, sine qua veram vitam habere non possunt, si aliquorum perditione cæteros tam multos colligit, præsertim quia isti non sicut *Absalon* casu bellico, sed spontaneo magis interitu pereunt, dolorem materni cordis, lenit & sanat tantorum libera-
NB. tione populorum. Quorũ si videas in Christi pace lætitias, frequentias, alacritates, & ad hymnos audiendos & canendos, & ad verbum Dei percipiendum celebres hilaresque conuentus, multorumq; in eis cũ dolore magno recordationem præteriti erroris, & cum

cum gaudio considerationem cognitæ veritatis, & cum indignatione & detestatione mendacium magistrorum, quod modò cognoscant de nostris sacramentis quàm falsa iactauerint: multorum etiam in eis confessiones, quod olim vellent esse Catholici, nec inter homines tanti furoris auderent: horum ergo populorum congregationes per plurimas Africæ regiones, ab illa perditione liberatorũ, si sub vno cõspectu videres, tunc diceres, nimiæ fuisse crudelitatis, si dum timeretur, ne homines desperati & istorũ innumerabili multitudini nulla æstimatione comparandi suis & voluntariis ignibus cremarentur, isti in æternum perdendi, & sempiternis ignibus cruciandi relinquerentur. Si enim duo aliqui in vna domo habitarent, quàm certissimè sciremus esse ruituram, nobisque id prænunciantibus nollent credere, atque in ea manere persisterent, si eos inde possemus eruere vel inuitos, quibus iminentem illam ruinam postea demõstraremus, vt redire vlterius sub eius periculum non auderent, puto nisi faceremus, non immeritò crudeles diiudicaremur. Porrò si vnus illorum nobis diceret, Quãdo intraueritis eruere nos, meipsum cõtinuò trucidabo: alter autem nec exire quidẽ inde, nec erui vellet, sed neq; necare se auderet, quid eligeremus, vtrũ ambos ruinæ opprimendos relinquere, an vno saltẽ per misericordiæ nostram operam

Elegans simile.

m 2 libe-

liberato, alterum non nostra culpa, sed sua potius interire? Nemo est tam infœlix, qui non quid fieri in talibus rebus oporteat, facillimè iudicet. Et de duobus hominibus vno scilicet perdito, & vno liberato similitudinem istam proposui. Quid ergò sentiendum est de quibusdam paucis perditis, & innumerabili multitudine populorum liberatorum? Non enim vel tot sunt illi homines qui sua voluntate pereunt, quot liberantur per istas leges ab illa pestifera æternaque pernicie fundi, pagi, vici, castella, municipia, ciuitates. Si autem diligentius rem de qua loquimur cogitemus, puto quod si plurimi essent in domo ruitura, & inde saltem vnus liberari posset, atq; id cum facere conaremur, alii seipsos prçcipitio necarent, dolorem de cæteris nostrùm, de vnius saltem salute cõsolaremur, non tamen ne seipsos alii perderent, perire vniuersos nullo liberato permitteremus. Quid igitur de opere misericordiæ, quod pro vita æterna adipiscenda, & pœna æterna vitanda hominib⁹ debemus impendere, iudicandum est: si pro salute ista non solum temporali, sed etiam breui, ad ipsum tempus exiguum liberanda, sic nos hominibus subuenire, ratio vera & benigna compellit? Quod autem nobis obiiciunt, quod res eorum concupiscamus & auferamus: vtinam Catholici fiant, & non solum quæ dicunt sua, sed etiam nostra in pace nobiscum & charitate possideant. Vsq; adeò autem

23. q. 4. ipsa pietas.

Calumnia auaritiæ. 23. q. 7. Quod autem.

tem calumniandi cupiditate cæcãtur, vt non attendant, quàm ſint inter ſe contraria, quę loquuntur. Ipſi certè dicunt, & inuidioſiſſimè ſibi conqueri videntur, quod eos in noſtram communionem violento legum imperio coarctamus. Hoc vtiq; nullo modo faceremus, ſi res eorum poſſidere vellemus. Quis auarus quærit compoſſeſſorem? Quis dominandi cupiditate inflammatus, vel faſtu dominationis elatus, deſiderat habere cõſortem? Ipſos certè attendant quondam ſuos, iam noſtros ſocios & fraterna nobis dilectione cõiunctos, quemadmodum ſua teneãt, nõ ſolum quæ habebant, ſed etiam noſtra quæ non habebãt, quæ tamen ſi pauperum compauperes ſumus, & noſtra ſunt & illorum. Si autem priuatim quæ nobis ſufficiant poſſidemus, nõ ſunt illa noſtra, ſed pauperũ, quorũ ꝓcurationem quodammodò gerimus, nõ proprietatẽ nobis vſurpatione damnabili vẽdicamus. Quicquid ergo nomine Eccleſiarũ partis Donati poſſidebatur, Chriſtani Imperatores legibus religioſis cũ ipſis Eccleſiis ad Catholicam tranſire iuſſerunt. Cùm ergo nobiſcum ſint plebes earundem Eccleſiarum nobiſcum pauperes, qui ab eiſdem poſſeſſiunculis alebantur, ipſi potius foris poſiti deſinant concupiſcere aliena, ſed intrent in vnitatis ſocietatem, vt pariter gubernemus, non illa tantùm quæ dicunt ſua, verùm etiam quæ dicuntur & nõſtra. Scriptum eſt enim; *Omnia veſtra ſunt, vos autem* 1. Cor. 3. 21.

Christi, Christus autem Dei. Sub illo capite in vno eius corpore vnum ſimus, & de iſtis talibus rebus faciamus quod ſcriptum eſt in actibus Apoſtolorum; *Erat illis anima vna & cor vnum, & nemo dicebat aliquid propriũ, ſed erant illis omnia communia.* Amemus quod cantamus; *Ecce quàm bonum & quam iocundum, habitare fratres in vnum*: vt ſic experiantur & ſciant, quàm veraciter ad eos clamet mater Catholica, quod ſcribit B. Apoſtolus ad Corinthios, *Non quæro quæ ſunt veſtra, ſed vos.* Si autem conſideremus quod dictum eſt in libro ſapientiæ, *Ideo iuſti tulerunt ſpolia impiorum*: Item quod legitur in Prouerbiis *Theſaurizãtur autem iuſtis diuitiæ impiorum*: Tunc videbimus non eſſe quærendum, qui habeant res hæreticorum, ſed qui ſint in ſocietate iuſtorum. Scimus quidem illos tantam ſibi arrogare iuſtitiam, vt eam ſe iactent non ſolum habere, ſed etiam aliis hominibus dare. A ſe quippe dicunt iuſtificari eum, quẽ baptizauerint, vbi nihil eis reſtat, niſi dicere illi qui baptizatur ab eis vt in baptizatorem ſuum credat. Cur n. non faciat, quando Apoſtolus dicit: *Credenti in eum qui iuſtificat impium, deputatur fides eius ad iuſtitiã.* In ipſum ergo credat, ſi eũ ipſe iuſtificat, vt deputetur fides eius ad iuſtitiam. Sed puto quod etiam ipſi ſeipſos horreant, ſi tamen iſta vel cogitare dignantur. Iuſtus n. & iuſtificans non eſt, niſi Deus. Poteſt autem & de iſtis dici ꝙ dicit Apoſtolus de Iudæis, quia *ignorantes Dei iuſtitiam*

Pſal. 132. 1.

2. Cor. 12. 14

Sap. 10. 19.

Donatiſtæ aliorum Iuſtificatores.

Rom. 4. 5.

ſtitiã, & ſuam volentes conſtituere, iuſtitiæ Dei non ſunt ſubiecti. Abſit autem vt quiſquam noſtrûm ita ſe iuſtum dicat, vt aut ſuam iuſtitiam velit conſtituere, id eſt, quaſi à ſeipſo ſibi datam, cum dicatur ei: *Quid enim habes quod non accepiſti?* aut ſine peccato ſe eſſe iactare audeat in hac vita, ſicut ipſi in noſtra collatione dixerunt, in ea ſe eſſe Eccleſia, *quæ iam non habet maculam aut rugam, aut aliquid huiuſmodi*: neſcientes hoc modo in eis compleri, qui vel poſt baptiſmum continuò vel dimiſſis debitis, quæ demittenda in oratione poſcuntur, de hoc exeunt corpore: in tota verò Eccleſia tunc futurum, vt ſit omninò non habens maculam, aut rugam, aut aliquid eiuſmodi, quando dicendum erit: *Vbi eſt mors victoria tua: Vbi eſt mors aculeus tuus? Aculeus enim mortis eſt peccatum.* In hac autem vita, vbi corpus quod corrumpitur aggrauat animam, ſi Eccleſia eorum iam talis eſt, non ergo dicant DEO, quod Dominus non orare docuit: *Dimitte nobis debita noſtra.* Cùm enim in baptiſmo cuncta dimiſſa ſunt, vt quid hoc poſcit Eccleſia, ſi iam etiam in hac vita non habet maculam, aut rugam, aut aliquid huiuſmodi; Contemnant & Apoſtolum IOANNEM clamantē in Epiſtola ſua; *Si dixerimus quia peccatum non habemus, nos ipſos ſeducimus, & veritas in nobis non eſt. Si autem confeſſi fuerimus peccata noſtra, fidelis eſt & iuſtus, qui dimittat nobis peccata, & mundet nos ab*

1. Cor. 4. 7.

Epheſ. 5. 27.

Contra perfectionem iſtam.

1. Ioh. 1. 8.

omni iniquitate. Propter hanc ſpem dicit vniuerſa Eccleſia; *Dimitte nobis debita noſtra:* vt non ſuperbientes, ſed confitentes mundet nos ab omni iniquitate, atq; ita ſibi Dominus Chriſtus exhibeat, in illa die glorioſam Eccleſiam non habentem maculam atque rugam, aut aliquid eiuſmodi: quam modò mundat lauacro aquę in verbo, quia neq; aliquid remanet in baptiſmo, quod non dimittatur omniũ præteritorum peccatorum, ſi tamen ipſe baptiſmus non fruſtrà foris habeatur, ſed aut intus detur, aut ſi iam foris datus eſt, non foris cum illo remaneatur, & quicquid ab eis, qui poſt acceptũ baptiſmum hic viuunt, infirmitate humana contrahitur quarumcunq; culparũ, propter ipſum lauacrum dimittitur. Neque enim aliquid prodeſt non baptizato dicere: Dimitte nobis debita noſtra. Ita modò mundat Eccleſiã ſuam lauacro aquæ in verbo, vt tunc eam ſibi exhibeat, non habentem maculam neque rugam, aut aliquid eiuſmodi, totã ſcilicet pulchram atque perfectam, *quando abſorbebitur mors in victoriam.* Nunc ergò in quantum viget in nobis, quod ex Deo nati ſumus, ex fide viuentes, iuſti ſumus. In quantum autem reliquias mortalitatis ex Adam trahimus, ſine peccato non ſumus. Et illud enim verum eſt, *Qui natus eſt ex Deo, non peccat.* Et illud verum eſt, *Si dixerimus quia peccatum non habemus, nos ipſos decipimus, & veritas in nobis non eſt.* Dominus itaque Chriſtus

1. Cor. 15. 54.

1. Ioh. 3. 9.
1. Ioh. 1. 8.

& iu-

& iustus est & iustificans, nos autem iustificati gratis per gratiam ipsius. *Non autem iustificat nisi corpus suum, quod est Ecclesia.* Et ideò si corpus Christi tollit spolia impiorum, & corpori Christi thesaurizantur diuitiæ impiorum, non debent impii foris remanere, vt calumnientur, sed intrare potius vt iustificentur. Vnde & illud quod de die iudicii scriptum est; *Tunc stabunt iusti in magna constantia aduersus eos, qui se angustiauerunt & abstulerunt labores eorum*, non vtique sic intelligendum est, quia stabit Chananæus aduersus Israël, cùm Chananæi abstulerint labores Israël, sed stabit Nabuthæus aduersus Achab, quoniam labores Nabuthæi abstulit Achab, Chananæus quippe impius, Nabuthæus iustus. *Sap. 5. 1.*

Eodem modo non stabit Paganus aduersus Christianum, qui abstulit labores eius, quando idolorum expoliata vel donata sunt templa: sed stabit Christianus aduersus Paganum qui abstulit labores eius, quando martyrum prostrata sunt corpora. Sic ergo non stabit hæreticus aduersus Catholicum, qui abstulit labores eius, quando præualuerunt leges Catholicorum Imperatorum. Sed stabit Catholicus aduersus hæreticum, qui abstulit labores eius, quando furores præualebunt impiorum Circumcellionum. Ipsa quippe scriptura soluit quæstionem, quę non ait: Tunc stabunt homines, sed tunc stabunt iusti. Et ideò in magna constantia,

quia in bona conſcientia. Iuſtus autem hic nemo eſt iuſtitia ſua, id eſt, tanquam ſibi à ſeipſo facta, ſed, vt dicit Apoſtolus, *Sicut vnicuique Deus partitus eſt menſuram fidei.*

Rom.12.3. Sequitur autem & adiungit: *Sicut enim in vno corpore multa membra habemus, omnia autem membra non eundem actum habent: Ita multi vnum corpus ſumus in CHRISTO:* Ac per hoc nemo poterit eſſe iuſtus, quamdiu fuerit ab vnitate huius corporis ſeparatus.

Extra Eccleſiam nemo iuſtus.

Quemadmodum enim membrum ſi præcidatur ab hominis viui corpore, non poteſt tenere ſpiritum vitæ: ſic homo qui præciditur de CHRISTI iuſti corpore, nullo modo poteſt ſpiritum tenere iuſtitiæ, etiamſi figuram membri teneat, quam ſumpſit in corpore. In huius ergo compagem corporis veniant, & labores ſuos non dominandi cupiditate, ſed benè vtendi pietate poſſideant. Nos autem voluntatem noſtram, vt iam dictum eſt, ab huius cupiditatis ſordibus, quolibet inimico iudicante purgamus, quando eos ipſos quorum labores dicuntur, vt nobiſcum & illis & noſtris in ſocietate Catholica vtantur, quantum valemus inquirimus. Sed hoc eſt, inquiunt, quod nos mouet. *Si iniuſti ſumus, quare nos quæritis?* Quibus reſpondemus; Quærimus vos iniuſtos, ne permaneatis iniuſti. Quærimus perditos, vt de inuentis gaudere poſſimus, dicentes: *Mortuus erat frater & reuixit, perierat & inuentus eſt.* Quare ergò

Obiectio Donatiſtarum.

Luc.15.32.

me

me, inquit, non baptizas, vt abluas me à peccatis? Respondeo; Quia non facio iniuriam characteri Imperatoris, cùm errorem corrigo desertoris.

Quare, inquit, apud te vel pœnitentiam non ago? Imo nisi egeris, saluus esse non poteris. Quomodo enim gaudebis te esse correctum, nisi doleas fuisse peruersum? Quid ergo inquit apud vos, cum ad vos transimus, accipimus? Respondeo: Non quidem accipitis baptismum, qui vobis extra compagem corporis Christi inesse potuit, prodesse non potuit? sed accipitis vnitatem spiritus in vinculo pacis, sine qua nemo poterit videre Deum: & charitatem, quæ sicut scriptum est, *cooperit multitudinem peccatorum*. 1.Pet.4.8.

Quod tam magnum bonum, sine quo nec linguas hominum & angelorum, nec scientiam omnium sacramentorum, nec prophetiam, nec tantam fidem, qua montes transferantur, nec omnia quæ possidet homo distributa pauperibus, nec corporis in ignibus passionem prodesse aliquid, Apostolus 1.Cor.13.3. testis est: hoc ergo tam magnum bonum, si paruum & nullum putatis, meritò infeliciter erratis, meritò si in vnitatem Catholicam non transitis, peritis. Si ergo, inquiunt, oportet vt nos extra Ecclesiã & aduersus Ecclesiam fuisse pœniteat, vt salui esse possimus, quomodo post istam pœnitẽtiam apud vos clerici, vel etiam Episcopi permanemus?

Hoc

Hoc non fieret, quoniam reuera, quod fatendum eſt, fieri non deberet, niſi pacis ipſius compenſatione ſanaretur. Sed ſibi hoc dicant, & multò maximè humiliter doleant, qui in tanta morte præciſionis iacent, vt iſto quodam vulnere matris Catholicæ reuiuiſcant. Cùm enim præciſus ramus inſeritur, fit aliud vulnus in arbore, quo poſſit recipi vt viuat, qui ſine vita radicis peribat: Sed cum receptus recipienti coaluerit, & vigor conſequetur, & fructus. Si autem non coaluerit, ille quidem areſcit, ſed vita arboris permanebit. Eſt enim & tale inſerẽdi genus, vt nullo præciſo ramo, qui intus eſt, ille qui foris eſt, inſeratur, non tamen nullo ſed vel leuiſſimo arboris vulnere. Ita ergo & iſti cùm ad radicem Catholicam veniunt, nec eis quamuis poſt erroris ſui pœnitentiam honor clericatus vel Epiſcopatus aufertur, fit quidem aliquid tanquam in cortice arboris matris contra integritatem ſeueritatis.

1. Cor. 3. 7. Veruntamen quia *neque qui plantat eſt aliquid, neque qui rigat*, ad Dei miſericordiam precibus fuſis coaleſcente inſitorum pace ramorum charitas cooperit multitudinem peccatorum.

Diſtinct. 50 Vt conſtituer. Vt enim conſtitueretur in Eccleſia, ne quiſquam poſt alicuius criminis pœnitentiam clericatum accipiat, vel ad clericatum redeat, vel in clericatu maneat, non deſperatione indulgentiæ, ſed rigore factum eſt diſciplinæ: alioquin contra claues datas Eccleſiæ diſputabitur, de quibus dictum eſt:

Quæ

Quæ solueritis in terra, soluta erunt & in cœlo. Matt.16.19
Sed ne forsitan etiam de cæteris criminibus spe honoris Ecclesiastici animus intumescens superbè ageret pœnitentiam, seuerissimè placuit, vt post actam de crimine damnabili pœnitentiam, nemo sit clericus, vt desperatione temporalis altitudinis medicina maior & verior esset humilitatis. Nam & sanctus Dauid de criminibus mortiferis pœnitentiam egit, & tamen in honore suo perstitit. Et beatum Petrum, quando amarissimas lachrymas fudit, vtique Dominum negasse pœnituit, & tamen Apostolus mansit.

Sed non ideò superuacua putanda est posteriorum diligentia, qui vbi saluti nihil detrahebatur, humilitati aliquid addiderunt, quo salus tutius muniretur, experti credo aliquorum fictas pœnitentias per affectatas honorum potentias. *Cogunt enim multas inuenire medicinas, multorum experimenta morborum.* Verùm in huiusmodi causis vbi per graues dissensionum scissuras non huius aut illius hominis est periculum, sed populorum strages iacent, detrahendum est aliquid seueritati, vt maioribus malis sanandis charitas syncera subueniat. Habeant ergo isti de præterito detestabili errore, sicut Petrus habuit de mendaci timore, amarum dolorem, & veniant ad Ecclesiam Christi veram, hoc est, matrem Catholicam: sint in illa clerici, sint Episco-

Posteriores prioribus vtiliter aliquid addere possunt.

2.3.q.q.pi-ceas.

piſcopi vtiliter, qui contra illam fuerunt hoſtiliter. Non inuidemus, imò amplectimur, optamus, hortamur, & quos in viis aut ſepibus inuenimus, intrare cogimus, & ſic nondum quibuſdam perſuademus, quia non res eorum, ſed ipſos quærimus. Apoſtolus Petrus, quando Saluatorem negauit & fleuit, & Apoſtolus manſit, nondum acceperat promiſſum ſpiritum ſanctum. Sed multò magis iſti eum non acceperunt, vbi à corporis compage diuiſi, quod ſolum corpus viuificat ſpiritus ſanctus, extra Eccleſiā & contra Eccleſiam, Eccleſiæ ſacramenta tenuerunt, & tanquam ciuili bello noſtris cōtra nos erectis ſignis armiſque pugnauerunt: veniant, fiat pax in virtute Hieruſalem, quæ virtus charitas eſt. Cui ſanctæ ciuitati dictū
Pſal. 121. 7. eſt, *Fiat pax in virtute tua, & abundantia in turribus tuis.* Non ſe extollant aduerſus maternam ſolicitudinem, quam pro ipſis & pro tantis populis, quos decipiunt, vel decipiebant, colligendis & habuit & habet: non ſuperbiant, quia ſic eos ſuſcipit: non referant ad elationis ſuæ malum, quod facit ipſa propter pacis bonum. Sic multitudinibus per ſchiſmata & hæreſes pereuntibus ſubuenire conſueuit. Hoc diſplicuit Lucifero, quia factum eſt in eis ſuſcipiendis atque ſanandis, qui veneno perierant Arriano: & cui diſplicuit, in tenebras recidit ſchiſmatis, amiſſo lumine charitatis. Hoc ergo iſtos ab initio ſeruauit Africa Catholica ex

Epiſco-

Episcoporum sententia, qui in Ecclesia Romana inter Cæcilianum & partem Donati iudicauerunt, damnatoque vno quodam Donato, qui author schismatis fuisse manifestatus est, cæteros correctos etiam si extra Ecclesiam ordinati essent, in suis honoribus suscipiendos esse censuerunt: non quo etiam foris ab vnitate corporis Christi possent habere spiritum sanctum, sed maximè propter eos, quos foris positi possent decipere, & à susceptione illius muneris impedire. Deinde vt etiam ipsorum infirmitas lenius excepta intus sanaretur, iam nulla pertinacia claudente oculos cordis aduersus euidentiam veritatis. Quid autem aliud etiam ipsi cogitauerunt, quando Maximianistas, quos in sacrilego, sicut eorum concilium indicat, schismate damnauerant, & in quorum iam locum alios ordinauerant, posteaquam viderant ab eis populos non recedere, ne omnes perderent in suis honoribus receperunt, & baptismo quem foris ab eis damnati dederant, nullam contradictionem quæstionemque mouerunt? Quare ergo mirantur, aut queruntur, aut calumniantur, quòd eos sic suscipimus pro vera pace Christi, & non recordantur, quid ipsi fecerint pro vana quæ contra Christum est pace Donati? Quod eorum factum si contra eos teneatur, & intelligenter afferatur, quid omninò respondeant, non habebunt. Quod autem dicunt, *si peccauimus in spi-*

in Spiritum ſanctum, quia exufflauimus baptiſmum veſtrum, vt quid nos quæritis, cùm remitti nobis hoc peccatum omninò non poſ-
Mat. 12. 32. ſit dicente Domino: *Qui peccauerit in Spiritum ſanctum, non remittetur ei neque in hoc ſeculo, neque in futuro*: non attendunt, quia ſecundum iſtum ſenſum nemo liberandus eſt. Quis enim non loquitur aduerſus Spiritum ſanctum & peccat in eum, ſiue qui nondum eſt Chriſtianus, ſiue qui eſt hæreticus Arrianus, aut Eunomianus, aut Macedonianus, qui eum dicunt eſſe creaturam, aut Photinianus, qui eius omninò negat aliquam eſſe
*id eſt perſonam. * ſubſtantiam, ſed vnum tantummodò eſſe Deum patrem: ſiue alii hæretici, quos commemorare longum eſt? Nulli ergò iſtorum liberandi ſunt? Aut ipſi Iudæi, quibus Dominus hoc obiecit, ſi in eum crederent non
2. Sent. diſt. 43. erant baptizandi? Non enim ait Saluator, in baptiſmo remittetur: ſed, *Non remittetur* inquit, *neque in hoc ſeculo, neque in futuro.* Intelligant ergo non omne, ſed aliquod ſignificatum eſſe peccatum in Spiritum ſanctum, quod omnino non remittetur. Sicut enim cùm dixiſſet, *Si non venirem, peccatum non haberent*: vtique non omne peccatum intelligi voluit, quandoquidem pleni erant multis magniſque peccatis; ſed aliquod proprium peccatum: quod ſi non haberent, poſſent illis omnia dimitti quæ habebant, id eſt quod in eum venientem non crediderunt: hoc enim non haberent peccatum, ſi non

non veniret: Sic etiam cùm dixit, *Qui peccauerit in spiritum sanctum*, vel qui verbum dixerit aduersus spiritum sanctum, non vtique omne quod in S. S. peccatur facto siue dicto, sed aliquod certum & proprium intelligi voluit. *Hoc est autem duritia cordis vsque ad finem huius vitæ, qua homo recusat in vnitate corporis CHRISTI, quod viuificat spiritus sanctus, remissionem accipere peccatorum.* Cùm enim dixisset discipulis, *Accipite spiritum sanctum*: continuò subiecit, *si cui dimiseritis peccata, dimittentur ei: Si cui tenueritis, tenebuntur.* Huic ergo dono gratiæ Dei quicunque restiterit & repugnauerit, vel quoquo modo fuerit ab eo alienus, vsque in finem huius temporalis vitæ non remittetur ei, neque in hoc seculo neque in futuro. Hoc scilicet tam grande peccatum vt eo teneantur cuncta peccata, quod non probatur ab aliquo esse commissum, nisi cum de corpore exierit. Quamdiu verò hic viuit, eum, sicut dicit Apostolus, *patientia DEI ad pœnitentiam adducit.* Sed si ipse perseuerantissima iniquitate, sicut consequenter adiungit Apostolus, *secundum duritiem cordis sui, & cor impœnitens thesaurizat sibi iram in die iræ & reuelationis iusti iudicii DEI*, non remittetur ei neque in hoc seculo, neque in futuro. Isti autem cum quibus agimus, vel de quibus agimus non sunt desperandi: adhuc enim sunt in corpore: sed non quærant spiritum sanctum,

NB. Rom. 2. 4.

ctum, nisi in Christi corpore, cuius habent foris sacramentum, sed rem ipsam non tenent intus, cuius est illud sacramentum, & ideò sibi iudicium manducant & bibunt. Vnus enim panis sacramentum est vnitatis; quoniam sicut Apostolus dicit: *Vnus panis, vnum corpus multi sumus,* Proinde Ecclesia Catholica sola corpus est Christi, cuius ille caput est Saluator corporis sui, Extra hoc corpus neminem viuificat spiritus sanctus, quia, sicut ipse dicit Apostolus: *Charitas DEI diffusa est in cordibus nostris per spiritum sanctum, qui datus est nobis.* Non est autem particeps diuinæ charitatis qui hostis est vnitatis. Non habent itaque spiritum sanctum, qui sunt extra Ecclesiam. De illis quippe scriptum est; *Qui seipsos segregant animales spiritum non habentes.* Sed nec ille eum percipit, qui fictus est in Ecclesia, quoniam deinde scriptum est; *Sanctus enim spiritus disciplinæ effugiet fictum.* Qui ergo vult habere spiritum sanctum, caueat foris ab Ecclesia remanere, caueat in eam simulatè intrare. Aut si iam talis intrauit, caueat in eadem simulatione persistere, vt veraciter coalescat arbori vitæ.

1.Cor.10.17

Sola Catholica Ecclesia corpus Christi, &c.

Rom.5.5.

Attende lector.

Iuda.V.9.

Sapien.1.5.

Epilogus.

Prolixum tibi librum derexi, & tuis fortasse occupationibus onerosum. Si ergò potuerit tibi vel partibus legi, dabit tibi Dominus intellectum, vt habeas quid respondeas eis corrigendis atque sanandis, quos

etiam

etiam tibi ipsi tanquam fideli filio, mater Ecclesia vbi potueris, & quomodo potueris, siue ipse loquendo & respondendo, siue ad doctores Ecclesiæ perducendo, in adiutorio Domini corrigendos sanandosque commendat.

S. AVGVSTINVS CONTRA EPISTOLAM Manichæi cap. 5.

Videamus quid me doceat *Manichæus*, & potissimum illum consideremus librum, quem *Fundamenti epistolam* dicitis, vbi totum penè quod creditis continetur. Ipsa enim nobis illo tempore miseris, quando lecta est, inclinati ducebamur à vobis, Certè sic incipit: *Manichæus Apostolus Iesu Christi, prouidentia DEI Patris. Hæc sunt salubria verba, de perenni ac viuo fonte.* Iam cum bonâ conscientiâ, si placet attendite quid quæram. Non credo istum esse Apostolum CHRISTI, quæso ne succenseatis, & maledicere incipiatis. Nostis enim me statuisse, nihil à vobis prolatum temerè credere. Quæro ergo quis sit ille Manichæus? Respondebitis, Apostolus CHRISTI. *Non credo.* Iam quid dicas aut facias non habebis:

Faciat quæso lector collationem nouatorum nostrorum cum Manichæo, videbit, quàm bellè Aug. vtrosque redarguat. Sic inter Nouatores Lutherus se Euangelistam Iesu Christi esse gloriatus est: item Apostolum et Prophetam. Qui cum Elia, Esaia, & Iohanne Baptista comparandus sit. Alii etsi nomina ista ambitiosa sibi non arrogant: tamen & potestatem vsurpant, & à suis non minoris fiunt.

bis: promittebas enim ſcientiam veritatis, & nunc quod neſcio cogis vt credam. Euangelium fortè mihi lecturus es, & inde Manichæi perſonam tentabis aſſerere. *Si ergo inuenires aliquem, qui Euangelio nondum credit, quid faceres dicenti tibi, non credo?* EGO VERÒ EVANGELIO NON CREDEREM, NISI ME ECCLESIÆ CATHOLICÆ COMMOVERET AVTHORITAS.

NB.

Quibus ergò obtemperaui dicentibus, Credite Euangelio, cur eis non obtemperem dicentibus mihi, Noli credere Manichæo? Elige quid velis. Si dixeris, Crede Catholicis, ipſi me monent vt nullam fidem accommodem vobis. Quapropter non poſſum illis credens, niſi tibi non credere. Si dixeris, Noli catholicis credere, non rectè facies per Euangelium me cogere ad Manichæi fidem, quia ipſi Euangelio catholicis prædicantibus credidi. Si autem dixeris. Rectè credidiſti Catholicis laudantibus Euangelium, ſed non rectè illis credidiſti vituperantibus Manichæum: vſque adeò me ſtultum putas, vt nulla reddita ratione, quod vis credam quod non vis non credam? Multò quippe iuſtius & cautius facio, ſi catholicis, quoniam ſemel credidi, ad te non tranſeo, niſi me non credere iuſſeris, ſed manifeſtiſſimè ac apertiſſimè ſcire aliquid feceris. Quocirca ſi mihi rationem redditurus es, dimitte Euangelium. *Si ad Euangelium te tenes, ego ad eos me teneam, quibus præcipientibus Euangelio*

Sic nunc obtemperemus matri Catholicæ dicenti. Noli credere Luthero, Caluino, Mennoni, &c.

NB.

Vide ergò quàm miſerè Nouatores dictũ ſuperius Auguſtini torquere ſoleant.

gelio

gelio credidi : & his iubentibus tibi omninò non credam. Quod ſi fortè in Euangelio aliquid apertiſſimum de Manichæi apoſtolatu inuenire potueris, infirmabis mihi Catholicorum authoritatem, qui iubent vt tibi non credam. *Qua infirmata, iam nec Euangelio credere potero,* quia per eos illi crediderim, ita nihil apud me valebit, quicquid inde protuleris. Quapropter ſi nihil manifeſtum de Manichæi apoſtolatu in Euangelio reperitur, Catholicis potius credam, quàm tibi. Si autem inde aliquid manifeſtum pro Manichæo legeris, nec illis, nec tibi: illis, quia de te mihi mentiti ſunt: tibi autem, quia eam ſcripturam mihi profers, cui per illos credideram, qui mihi mentiti ſunt. Sed abſit vt ego Euangelio non credam. Illi enim credens, non inuenio quomodo poſſim etiam tibi credere, &c.

Infirmata Catholica Eccleſia authoritate neque ipſi Euangelio tutum credere.

F I N I S.





